

## AD IOANNEM MEDICEM CARDINALEM AMPLISSIMUM

CA\_1 v.1 Nec mihi Plutus, neque saeva rerum  
 2 omnium Fortuna parens benignam  
 3 praebuit sese, rutilante reges  
 4 quae beat auro.  
 5 Molle sed Musae ingenium dederunt,  
 6 fingere et cultum docuere carmen,  
 7 dum pererrantem Aonios recessus  
 8 frondibus ornant.  
 9 Nam modo aut laudes canimus Deorum,  
 10 aut lyram plectro quatimus sonoram ;  
 11 et modo heroum pia gesta summo ae-  
 12 quamus Olympo,  
 13 dicimus saevae faculas Diones,  
 14 scribimus tristes juvenum querelas,  
 15 aereis vinctum canimus Tonantem  
 16 colla catenis :  
 17 saepe et ad nostros numeros puellae  
 18 excitae e silvis properant, Napaeae  
 19 saepe mi texunt vario legentes  
 20 flore corollas.  
 21 Laetus his memet procul a maligna  
 22 plebe lucorum rapio in recessus,  
 23 quaeque venturis relegantur annis  
 24 carmina condo,  
 25 carmina excultae nova dona Musae :  
 26 quae tibi, o rerum columnen decusque  
 27 grande nostrarum, Medices, dicanda  
 28 mittimus uni.  
 29 Namque nec vestes Tyrias, nec aurum  
 30 possumus, regum nec opes potentum.  
 31 Attalum grandi quis enim beatum  
 32 munere donet ?  
 33 Mittimus lusus facilesque Musas,  
 34 quae tuum fama super astra nomen  
 35 efferant, quod non abolere possit  
 36 ulla vetustas.

## AD ALBERICUM CIBO MALASPINAM, MASSAE ET CARRARIAE PRINCIPEM

CA\_2 v.1 Non, quas Apelles pingere, vel Myron  
 2 ex aere suevit ducere, imagines  
 3 fugere fatum corruentes  
 4 atque vices Italum supremas,  
 5 cum barbarorum vis Latias humi  
 6 dejecit arces, cum subiit jugum  
 7 frenumque (pro labes) recepit  
 8 imperio spoliatus orbis  
 9 Urbis Quirinus conditor, et sua  
 10 substructa summis moenia molibus  
 11 prostrata vidit cumque signis  
 12 marmoreis tabulas jacentes.  
 13 Quae nunc ruinis obruta plurimis  
 14 nil esse prorsus perpetuum docent,  
 15 ni quid profundis e tenebris  
 16 eripiat male amica tetrae  
 17 oblivioni musa, superstitem  
 18 heroa quemvis nata volubile  
 19 servare in aevum, sempiternos  
 20 per numeros memoresque fastos.  
 21 Non illum aquarum dira minantium,  
 22 non insolentis turbinis impetus,  
 23 non longa seclorum vetustas  
 24 delet, aut violentus ignis,  
 25 quem musa cantat. Gesta Quiritium  
 26 norunt nepotes haud ope marmoris  
 27 aerisve, sed scribentis apte  
 28 carmen et historiam Camenae.  
 29 Haec una pulchrae nomen et inclyta  
 30 aeternet urbis facta Ligusticae,  
 31 haec una reges, unde ducis  
 32 ipse genus, vetet interire,  
 33 o clara magni progenies avi  
 34 Arruntis : olim cujus Ibericae  
 35 sensere virtutem cohortes  
 36 saepe referre pedem coactae,  
 37 dux ultimorum strenuus Andium  
 38 regnum reposcens cum sibi debitum  
 39 clades superbo Tarraconis  
 40 intulit innumeras tyranno.

## IN CACULAM

CA\_3 v.1 Quid est inepte, quid miselle Cacula,  
 2 quod pergis insanire pertinaciter ?  
 3 Dic : iste mentis impotens furor tuae  
 4 quiescet umquam ? An usque et usque tete aget  
 5 feretque, quo libebit, infantissimi ut  
 6 nomen poetae consequaris ? Ah nimis  
 7 miselle, nondum perspicias videlicet  
 8 quam pestilente tute morbo absumeris,  
 9 dum te dies noctesque scribens conficis,

10 in teque saevis ceterosque, perlegens  
 11 modo huic, modo illi ineptiarum millia  
 12 frustraue tantum concupiscens nominis.  
 13 Nam quis poetam, quaeso, confitebitur,  
 14 quem verba cogunt obviaeque syllabae  
 15 non id, quod ipse vult, sed id, quod imperant  
 16 illae, exarare, sensa mentis dum suae  
 17 enuntiare nititur ? Quod accidit  
 18 tibi, frequenter dixerone Cacula,  
 19 an semper ? Hercle semper : nec novem tamen  
 20 sentis inepte, nec vides adhuc miser  
 21 frustra vocare carmen ad tuum Deas,  
 22 carmen trecentis inquinatum sordibus ;  
 23 seu verba faece sumpta de vulgi placet  
 24 spectare, claudos sive versuum pedes,  
 25 aut prorsus omnis ponderis sententias  
 26 omnes inanes, bimulus quales puer,  
 27 quadrimulusve suevit ore fundere,  
 28 aegerve febre saeviente fervida.  
 29 Et haec Sibyllae, cum Deorum numine  
 30 afflata magno concitatur spiritu,  
 31 Apollinisque veriora oraculis  
 32 adhuc negavit esse nullus uspiam  
 33 mortalium, qui legerit semel tuum  
 34 carmen trecentis inquinatum sordibus.  
 35 Et ipse credis o miselle Cacula,  
 36 credis miselle te poetam dicier ?  
 37 Miselle, nec dum perspicias quantum furis  
 38 quantumque divexare pertinacia  
 39 ab ista et isto errore inextricabili,  
 40 atri furoris pleno et atrae insaniae.  
 41 Nam major ullus esse non potest furor,  
 42 nec ulla major atriorve insania,  
 43 quam cum quis esse se poetam discupit :  
 44 nec esse Phoebus ipse, nec Musae sinunt.

AD IULIUM CAMILLUM

CA\_4 v.1 Non tam, cum queritur sub veteri trabe  
 2 ac deplorat Ityn carmine, barbari  
 3 ales conjugii questa libidinem  
 4 flevit dulciloquis modis ;  
 5 nec tam caeruleis fluctibus obrutum  
 6 jactari Zephyris Alcyone viri  
 7 corpus perstreperet dum mare, tristibus  
 8 rupit litora vocibus :  
 9 quam dulce Aoniis quod penetrantibus  
 10 promptum visceribus fundis ab intimis  
 11 carmen, Jule, suo cum tibi Cynthius  
 12 implet pectora numine.  
 13 Testaturque adeo Melpomene nihil  
 14 (quamquam Pindaricos Graecia nobiles  
 15 miretur numeros) pectine gratius,  
 16 quo pulsas Latiam chelym

17 atque ad te Satyros undique pertrahis  
 18 silvarumque sacrum numen Oreadas,  
 19 sive illae Arcadii culmina Maenali,  
 20 seu servant juga Caucasi.  
 21 Quid mirandum igitur si tibi Graecia  
 22 assurgens patrios docta refert modos  
 23 acceptos, Clario qui duce Apolline  
 24 tendas altus in aethera ?  
 25 Dum rides fugientem Jovis alitem,  
 26 quae Gallos Italiam perspicit undique  
 27 stipatos ducibus dira minantibus,  
 28 ne foedam properet fugam,  
 29 ac tandem Ausonios improba liberet  
 30 pressos imperio non tolerabili,  
 31 et sese Hesperios abdat in ultimos  
 32 extremi Oceani accolae ;  
 33 dum magnas Superis carmine gratias  
 34 reddis laetitiisque omnibus exsilis  
 35 radices quod agunt aurea lilia  
 36 nostris in regionibus,  
 37 quae concussa diu (pro dolor) horridis  
 38 austris et pluviis incipiunt suis  
 39 afflari Zephyris, ut caput efferant  
 40 in fulgentia sidera.  
 41 Sic, o sic faveant numine prosperi  
 42 dii, quaecumque videt Phoebus ab aethere  
 43 dum vectus peragrat cuncta jugalibus,  
 44 ramis omnia contegant.  
 45 Sed ne nostra tuis auribus obstrepant  
 46 importuna nimis, dum sacra Palladi  
 47 curas assiduus Socraticas terens  
 48 chartas, Pieriis modum  
 49 impono numeris. Namque ita Cynthius,  
 50 audacem tenui pectine dum lyram  
 51 pulsarem, monuit ; denique pectore  
 52 cessit numen ab intimo.

#### IN THRACIAM CLASSEM

CA\_5 v.1 Thracio quum in religata portu,  
 2 unde currentes recipit Propontis  
 3 Bosphori fluxus, iter appareret  
 4 barbara classis,  
 5 nostra quo diro populata ferro  
 6 litora, insanis inimica flammis  
 7 verteret clari miseris ab imo  
 8 Caesaris urbes,  
 9 dicitur vates cecinisse Proteus  
 10 fata, dum stratum pelagus jaceret  
 11 fluctibus, nullis Boreae Notive  
 12 flantibus auris :  
 13 "Ite non fausta nimium securi  
 14 abietes caesae nemorumque Divis  
 15 prorsus adversis renuentibusque

16 visere Pontum ;  
17 ite quo ductor vocat, ite quo vos  
18 barbarus lectae juvenum catervae,  
19 spesque promissae comes usque praedae  
20 ducit hiantes.  
21 Vosque si fluctus Maleae sequaces,  
22 sive ab occasu Zephyri morentur  
23 Taenari, nautas ubi subter undam  
24 naufraga cautes  
25 terret infaustos : iter institutum  
26 attamen longis superare palmis  
27 tendite et vestros remoretur ausus  
28 nulla Charybdis.  
29 Nam sibi jam tum male feriatum  
30 Regium undarum pater atque rector  
31 exsecrans, templis domibusque saevos  
32 inferet ignes.  
33 Inferet flammam, cineresque fient  
34 omnia : et junctis perarata bobus  
35 nutriet tellus segetem et patienti  
36 gramina campo.  
37 Cuncta tunc Euris Aquilonibusque  
38 vela pandentes, Siculum per aequor  
39 classe Nicaeam venietis urbem  
40 omine laevo.  
41 Hanc ut audaces nimium leaenae,  
42 longa quas diu rabies edendi  
43 egit impastas, catulis relictis  
44 relinquere silvas  
45 obsident caulas aditusque circum  
46 undique explorant : ita vos beatam  
47 conditis multorum opibus petetis  
48 diripiendam.  
49 Vastium sed cum auxilium ferentem  
50 asperas jam jam Ligurum per urbes,  
51 plurimis circum ducibusque et acri  
52 milite saeptum,  
53 Alpium altarum juga montiumque  
54 atque veloci superasse gressu  
55 fluminum lapsus, levis aura vestras  
56 personet aures,  
57 ibitis vobis pede consulentes  
58 in fugam versi (pudor oh) relictis  
59 omnium telis generum, daturi  
60 carbasa ventis.  
61 Ibitis quoquo metus atque terror  
62 suadeat, Vasti tibi quem creavit  
63 nomen, invictis metuenda nuper  
64 turba sagittis.  
65 Ille sublimis velut amnis auctus  
66 jam nives aestu solvente vernas  
67 fertur in praeceps, tiliisque et altas  
68 dissipat ornos,  
69 dissipat quercus veteres bonasque  
70 fraxinos bello, miserisque vastat  
71 creditam campis segetem soloque

72                   moenia adaequat :  
 73       fulgido circum caput aere vinctus,  
 74       dum sibi aeternam parat Italisque  
 75       gloriam, fertur medios per hostes  
 76                   ense tremendus.  
 77       Hoc et ingentis memor usque facti  
 78       saepe devictas acies fatetur,  
 79       hoc sibi partos memorat triumphos  
 80                   auspice Caesar.

IN CACULAM

CA\_6    v.1       Inanis hic et invenustus et malus  
           2       liber, trecenta menda quem coinquant,  
           3       quid est ? Et unde turpe sustulit caput ?  
           4       An exaratus in recente Romuli est  
           5       Remique faece ? An in Suburra et Atriis  
           6       taberna in ulla, an et Macello in intimo  
           7       popino scripsit hunc, egeusve ganeo ?  
           8       Rapaxve fullo ? Sarcinator aut inops ?  
           9       Haraeve putridae excavator ? Aut vetus  
 10       rudisque fossor ? Instuorve sordidus ?  
 11       Hebesve praeco ? Barbarusve mulio ?  
 12       An hac in urbe, an altera, an in ultimo  
 13       sinu Adriano, an in propinquo Etruriae ?  
 14       Pigerve sutor ? Insuberve bajulus ?  
 15       Loquaxve tonsor ? Improbisve navita ?  
 16       An hinc remotus asperi Scythia ingeni,  
 17       Britanniaeve durus essedarius ?  
 18       Iberiaeve caprimulgus incola ?  
 19       Apuliaeque cultor ? Et Sicaniae  
 20       iners subulcus ? Atque arator horridus ?  
 21       Quid est ? Quid, inquam, habere se putat boni ?  
 22       Quod ipse turpe sustulit luto caput ?  
 23       Cupitque pervenire in ora gentium ;  
 24       quod insolenter improbeque perfurit,  
 25       nihil quid ipse sit, nec unde cogitans.  
 26       Quod usque pollicetur ac petit sibi  
 27       superbus insolensque principem locum,  
 28       nimisque stultus arbitratur optimis  
 29       quibusque se decere comparariet  
 30       vetustas quos vel ipsa et haec recentia  
 31       tulere saecula plurimos et optimos,  
 32       et hisce liberalibus facetiis,  
 33       sales habere quae putantur, et notis  
 34       Latinitatis, abditae et scientiae,  
 35       et Attici leporis oblitos libros.  
 36       Ineptus (inquam) hic et minutus et malus  
 37       liber, trecenta menda quem coinquant,  
 38       quid est ? Et unde venit ? Hospes optime,  
 39       poeta scripsit hunc, poeta maximus,  
 40       poeta, qui nec unius facit pili  
 41       Latinitatis ista vel vocabula,  
 42       vel usitata verba, vel Quiritium

43       jocosa dicta, sive dicta seria,  
 44       et elocutionis apta lumina ;  
 45       poeta, qui unus ante et hoc tempore  
 46       nihil diserta scripta curat ullius,  
 47       nec instituta, carminis quibus pedes  
 48       leves feruntur, aut graves trahunt moras.  
 49       Pusilla ducit haec parumque congrua  
 50       sibi suaeque inaestimabili et novae  
 51       vagaeque scriptioni, et unico stilo  
 52       novus poeta maximusque Cacula.

LENAIA

CA\_7    v.1    Lux, o beata lux, o  
           2       qua Bacchus et Gigantes  
           3       ferosque vicit Indos,  
           4       qua tigridasque curru  
           5       subegit et leones,  
           6       factaque de corymbis  
           7       et pampino corona  
           8       caput sibi revinxit  
           9       et ultimo triumphans  
 10       reversus est ab orbe,  
 11       vitemque primus ad nos  
 12       tulit benignus, atque  
 13       ostendit ut liquorem  
 14       nudis juventa plantis  
 15       praeloque de racemis  
 16       elideret Lyaeum :  
 17       deum omnium Lyaeum  
 18       et optimum et supremum.  
 19       Quo diluuntur atrae  
 20       curaeque et insolentes  
 21       formidines et omnis  
 22       accersitur vicissim  
 23       amica semper altrix  
 24       vitae ipsius voluptas,  
 25       Venusque Gratiaeque.  
 26       Lux, o beata lux, o  
 27       lux digna, quam canamus,  
 28       quam transigamus omnes  
 29       inter Falerna et inter  
 30       pulcherrimas choreas  
 31       et candidos lepores  
 32       senes mero madentes  
 33       et ebriae puellae.  
 34       Lux, o beata lux, o  
 35       quae tam bonum liquorem  
 36       huc prima pertulisti,  
 37       illuceas perennis  
 38       et circumacta in orbem  
 39       has laetior quotannis  
 40       festas dapes revisas.  
 41       En ergo jam venuste

42 puer meraciores  
43 calices mihi ministra,  
44 et inde combibones  
45 fac expleas, quot adsunt.  
46 Haec vina sunt Falerna,  
47 sunt ista Formiana,  
48 Calenaque et Setina,  
49 Albana, Chia lustris  
50 tribus vetustiora.  
51 Ut jam subit medullas,  
52 ut jam pedes manusque  
53 nobis tenax Lyaeus  
54 revincit immerentes !  
55 Ac tu quidem Ciofi  
56 nimis es meae puellae  
57 intentus in papillas,  
58 nimis tuos ocellos  
59 jam plurimo furentes  
60 amore, vino et ira  
61 defigis in Corinnam.  
62 Quin te Virole, quin te  
63 ni falsus intuendo  
64 ego sum, tuos amores  
65 bene novi, et ista, qua tu  
66 valde cales, amat jam  
67 jam deperit sodalem  
68 nostrum salaciorem  
69 perdicibus vel ipsis,  
70 passerculisque vernis,  
71 et, siquid invenitur  
72 procax magis salaxque,  
73 hunc Vigniam, leporum  
74 tamen atque Gratiarum  
75 alumnum ; at is vicissim  
76 et pectore et tenellis  
77 absumitur medullis  
78 ab impotente flamma.  
79 Quid, o senex proterve,  
80 caper libidinose,  
81 delire Tucca, quid, o  
82 quid potus in Fadillae  
83 gremio satur recumbis ?  
84 Neque te pudet quod ipsam  
85 tunicamque palliumque  
86 pertundis et supinus  
87 stertis Falerna ? Sed nos  
88 bibamus usque et usque  
89 et pocula hauriamus  
90 majora : sic edaces  
91 curae fugantur omnes ;  
92 quod pluris esse possit,  
93 quam regna opesque regum.



## AD IO. HIERONYMUM ROSCIUM, EPISCOPUM TICINENSEM

CA\_8 v.1 Rosci, quem prius ut domo e vetusta  
 2 natum e sanguine nobili parentum,  
 3 mox auctum meritis honoribusque  
 4 fortunae et studio benignioris,  
 5 cultu, quo pote, prosecutus omni  
 6 colebam tacitus, darentque tandem  
 7 optatum mihi commodumque tempus  
 8 votis et precibus Deos rogabam  
 9 ipsam hanc cum tibi caeterisque, qui te  
 10 dignum, quem veneremur, esse norunt,  
 11 voluntatem animi mei perennem  
 12 testatam facerem. Sed hercle postquam  
 13 a te incredibili benignitate  
 14 acceptus potui perelegantem,  
 15 et multa simul eruditione  
 16 ornatumque gravemque, nec venustum  
 17 minus, nec minus hisce liberalem  
 18 sermonem bibere auribus, tuique  
 19 praesentis faciem videre praesens,  
 20 confestim obstupui velut corusci  
 21 ictus fulminis impetu minaci.  
 22 Ac domum redii nihil, nisi unum  
 23 te noctuque diuque somnians, te  
 24 exoscens itidem alloquensque solum.  
 25 Quare et si hoc ago forte non pudenter,  
 26 qui tibi obstrepere audeam molestus,  
 27 confeci tamen hoc poema, ut istuc,  
 28 qualecumque fuisset, afferendum  
 29 curarem subito, putans futurum,  
 30 si non ingenii vel expoliti  
 31 testis jam queat esse vel subacti,  
 32 at prae se ferat indicetque aperte  
 33 tuas nec rudibus nec infacetis  
 34 conatum voluisse me supremas  
 35 ad caelum numeris vocare laudes ;  
 36 sed victum gravitate ponderisque  
 37 magnitudine territum, perinde  
 38 fecisse ac pueri puellulaeque :  
 39 qui plexas viola rosaque ponunt  
 40 imos ante pedes pii coronas,  
 41 siquando caput arduamque frontem  
 42 in magno haud licet attigisse signo.

## EX MENANDRO

CA\_9 v.1 Hanc si optionem fecerit mihi Deus :  
 2 "Postquam jacebis mortuus, vitae statim  
 3 redderis, et quod commodo fiat tuo,  
 4 equus, canis, vervex, caper, homo, denique  
 5 eris quicquid volueris, nunc illud licet  
 6 optes, tibi quod expedire iudices" ;  
 7 respondeam tum protinus quod sentio :

8 "Ne me, rogo obtestorque, ne coegeris  
 9 subire rursus, quam relinquo, imaginem.  
 10 Neque enim est aliud plane animal, cui vel prosperae,  
 11 vel adversae res accidunt injuria  
 12 meritumque praeter omne. Namque equus bonus  
 13 nitescit altis laetus in praeseptibus ;  
 14 itemque multo lautius canis celer  
 15 domi nutritur, quam piger ; nec interest  
 16 parum, juvencus fortis an sit debilis.  
 17 Homo antefertur improbus solum probo :  
 18 adulatorque primas fert, at proximas  
 19 calumniator, fraudulentus tertias.  
 20 Ut expedire censeam posthac fore  
 21 asellum potius, quam videre ut improbe  
 22 indignus efferatur, ut jaceat bonus  
 23 expers honoris omnis, omnis praemii.

#### AD PAULLUM MANUTIUM

CA\_10 v.1 Ecquis praeterea audeat Manuti,  
 2 quae Doctor Samius reperta quondam  
 3 mortales docuit, negare vera  
 4 esse cum ratione juncta ? Quando  
 5 nil distare videmus aut nepotes  
 6 interdum a patribus suis avisque,  
 7 et mores nihil ejus interesse  
 8 inter et placitae instituta vitae,  
 9 lustris qui fuit ante nos trecentis,  
 10 et nostrum ingenia utriusque, qui nunc  
 11 tanto tempore post sumus creati.  
 12 Sed quorsum haec ? (Video) requiris. Ipsam  
 13 quod vere in te animam migrasse cuncti  
 14 divini Ciceronis et fatentur  
 15 passim et suspiciunt coluntque, tamquam  
 16 non dico Ciceronis experimentem  
 17 apte sensa animi aureumque flumen  
 18 verborum, at potius perinde ut ipsum  
 19 ipsum inquam veteres boni Quirites  
 20 scribentem aut etiam reos tuentem  
 21 dicendo Ciceronem et audiebant,  
 22 et plausu studioque prosecuti  
 23 colebant simul et simul stupebant.  
 24 Vive ergo incolumis diu, o Manuti,  
 25 non solum tibi liberisque, qui jam  
 26 per vestigia patris ad supremum  
 27 pervenere gradum eruditionis,  
 28 sed illis quoque, quive sunt eruntve  
 29 gloriae cupidi atque litterarum.

#### AD FRANCISCUM IUCUNDUM

CA\_11 v.1 Jucunde, omnibus e meis amicis  
 2 jucundissime amice, quos ocellis

3 charos sum magis hisce prosecutus  
 4 aut nunc prosequor impotente amore :  
 5 sic mi non male, sed bene ac beate  
 6 sit, ut ne juvenis quidem tenellus  
 7 umquam, quem Veneres Cupidinesque  
 8 unum in deliciis habent, perinde  
 9 exarsit miser intimis medullis  
 10 prae desiderio suae puellae,  
 11 ac nos urimur aestuante cura  
 12 fruendi lepido tuo lepore  
 13 et tuis salibus facetiisque,  
 14 quibus si carui diem vel unum,  
 15 unam si carui misellus horam,  
 16 totam me hercule praeterire noctem  
 17 ingratham mihi sentiam necesse est.  
 18 Quare te rogo per tuos amores  
 19 et per delicias libidinesque,  
 20 quas in te cupide facis puella,  
 21 cum sese putat haud minus beatam  
 22 quam si regna opulenta consequatur :  
 23 cenatum properes venire mecum.  
 24 Nec nos regifico arbitrere luxu  
 25 et sumptu nimis elegante magnam  
 26 jamdudum tibi praeparasse cenam.  
 27 Latranti stomacho ova porrigemus  
 28 conditumque olus acriore aceto,  
 29 tum famem tenero eximemus haedo,  
 30 quem nuper coquus impiger tumentis  
 31 raptum ab ubere lacteae capellae  
 32 sapa et caseolo recente et herbis,  
 33 fragrant Assyrio quae odore, farsit.  
 34 Nec pisces aberunt salubriores  
 35 quam qui marmoreis vagantur undis :  
 36 hos meus mihi misit amnis Auser,  
 37 piscium domus Auser et recessus.  
 38 Quorum in levibus hinc et inde tergis  
 39 fulgent purpureo colore guttae ;  
 40 hos quidem salares putant vocari,  
 41 salmones alii. Sed hoc quid ad nos ?  
 42 Aequae nam bene concoquemus, ac si  
 43 jamdudum Cicero ipse sustulisset  
 44 hanc litem aureolis suis libellis.  
 45 In mensam modo deferantur atque  
 46 pergrato exsaturent gulam sapore.  
 47 Quare, si sapis, o venustiorum  
 48 ocelle, hic, quia neminem moratur  
 49 praeter te unanimis tuus sodalis,  
 50 quam primum venies feresque tecum  
 51 lusus, delicias, facetiasque,  
 52 quotquot sunt domi in arcula repostae :  
 53 queis postquam Angelium bearis, ipse  
 54 beet versiculis tuos amores.

CA\_12 v.1 Exstinctum Venus intuens Adonim,  
 2 atque hinc aureolos et inde crines  
 3 effuso madidos cruore et ipsas  
 4 carentes roseo genas honore :  
 5 "En (inquit) celeres o ite Amores,  
 6 ite et Idalios adite saltus,  
 7 atque aprum trahite huc meos qui amores,  
 8 meas delicias Adonim, eheu,  
 9 Adonim nemorum decus, peremit."  
 10 His dictis, celeres volant Amores  
 11 per silvae latebras videntque tanti  
 12 auctorem sceleris suem latentem.  
 13 Tum collum laqueo implicant tenaci  
 14 coguntque Idalia exsilire silva.  
 15 Atque hic praevalido trahit capistro,  
 16 urget vulnificis at ille telis  
 17 cunctantem nimio metu Diones.  
 18 Tunc ardens Venus impotente amore :  
 19 "Eheu pessimus omnium ferarum,  
 20 tun' (ait) femur hoc ferire es ausus ?  
 21 Tun' meum improbe vulnerasti amantem ? "  
 22 "Per te, (tunc aper inquit) o Dione,  
 23 per hunc, qui jacet hic, Adonim, atque  
 24 per haec vincula juro, per catenas,  
 25 queis ad te misere trahor, per hosce  
 26 venantes, tibi sauciavi amantem  
 27 invitus. Malus huc me adegit error.  
 28 Nam nudum ut femur albicansque vidi  
 29 qualem ipsum in statuis ebur renidet,  
 30 correptus subito furore, cum mi  
 31 flagrarent tenerae ignibus medullae,  
 32 cum sensus mihi pectore excidissent ;  
 33 insanissimus ore suaviatum  
 34 accurri mihi ne beatiorem  
 35 quisquam esset potis anteferre. At hunc tu,  
 36 hunc ulciscere, caede, frange dentem,  
 37 dentem prae rabie furentem amoris.  
 38 Quod si non satis est, recide rostrum hoc,  
 39 quod tantum sibi postulavit amens."  
 40 Tunc Venus miserata : "Solvite (inquit)  
 41 hunc vos, o pueri. " Solutus ergo  
 42 aper praeterea ingredi profundam  
 43 silvam noluit, at comes perennis  
 44 adhaesit Veneri, suos et ussit,  
 45 sese projiciens in ignem, amores.

## AD PAULLUM IOVIUM ET AD SIMONEM PORCIUM

CA\_13 v.1 Jovi candide, tuque docte Porci,  
 2 nostri lumina sempiterna saeculi,  
 3 bonarum et decora alta litterarum.  
 4 Namque Aristotelis malas tenebras  
 5 vestrum discutit alter et sagacis

6 naturae latebras peragrat, omnes  
 7 errores animis uti revellat  
 8 et lucem afferat omnibus perennem.  
 9 Alter historia erudita et ipso  
 10 scribendi genere eleganti et alto  
 11 illustrat loca, facta, nationes,  
 12 nec quicquam patitur perire nostri  
 13 ornata modo scriptione dignum,  
 14 quod non splendeat in suis libellis  
 15 cultis, Jupiter, et laboriosis.  
 16 Vos ille Angelius salutatur ambos,  
 17 ille (inquam) Angelius beatus atque  
 18 felix, si queat, ut solebat ante,  
 19 vestras nunc quoque ventitare ad aedes  
 20 et sermonibus interesse vestris,  
 21 quos multa et varia eruditione  
 22 confertis, sale et Attico lepore  
 23 conditos adeo, ut beetis omnes  
 24 quotquot vos simul audiunt loquentes.  
 25 Vos (inquam) Angelius salutatur ambos,  
 26 ille ille Angelius vel impotente  
 27 risu dignus et omnium cachinno.  
 28 Cui radicitus auferens capillum  
 29 atque omni spolians honore malas,  
 30 hinc inde horrifico genas rigore  
 31 contraxit Notus osseosque ocellos.  
 32 Quare nunc miser omnium perhorrens  
 33 conspectum, latet abditus tenebris,  
 34 ut cervus latet abditus cavernis,  
 35 si fronti decus excidit superbum,  
 36 dum sentit capiti arbores renatas,  
 37 quique olim aruerant cadente trunco  
 38 proceros iterum virere ramos.  
 39 At vos, si sapitis, cavete utrique  
 40 Jovi candide tuque docte Porci  
 41 hunc ventum horribilem atque pestilentem.

AD ANTONIUM CIOFIUM IURECONSULTUM

CA\_14 v.1 Orem ridiculam et nimis jocosam,  
 2 Ciofi, meus et tuus sodalis  
 3 dum se Mammula forte contineret  
 4 nuper, ut solet, in Paculliano,  
 5 ac sodalicio procul relicto  
 6 Cribrullam sequeretur obstinatam,  
 7 luto plurimus haesit in tenaci.  
 8 Luctatusque diu ut misella visco  
 9 magisque ac magis impeditur ales,  
 10 luto est et magis et magis volutus.  
 11 Tum Jovemque Deosque deprecatus  
 12 ranam ex tempore versus in palustrem est.  
 13 Et nunc assidue coaxat inter  
 14 diversans culicesque tippulasque  
 15 et si quicquam aliud voraginosas

16 fossas, et veteres habet lacunas,  
 17 et segni putridas aqua paludes ;  
 18 Cribrullae aut vetus obsidet puellae  
 19 limen, aut humili super grabato  
 20 huc illuc salit, aut sinu receptus  
 21 lutosas fovet usque et usque mammas,  
 22 et luto caput occulit profundo,  
 23 et lutum colit et colit puellam  
 24 haud luto nihilo lutosiorem.  
 25 At nos suppliciter Jovem Deosque,  
 26 quando is deseruit suos sodales  
 27 nec pili facit, ut Pacullianum  
 28 semel se abdidit in suum, precemur  
 29 lutosas amet et colat puellas,  
 30 quantum qui colere atque amare quicquam,  
 31 et quicquam pote plurimum perire.  
 32 Et cum se satiaverit lutoque  
 33 et lutum redolentibus papillis,  
 34 formae redditus ilicet priori  
 35 huc tandem redeat lutosus ad nos.

## AD VINCENTIUM MALPILIUM

CA\_15 v.1 Vincenti egregium decus vetustae  
 2 urbis, flos juvenum beatiorum :  
 3 dic o dic, precor, estne tempus ullum  
 4 beatus tibi quo videris esse ?  
 5 Tum credo (nisi fallor) ipse cum de  
 6 tuis civibus optime mereris,  
 7 cum plane periit dies nec unus  
 8 nova quin aliquem benignitate  
 9 bonum juveris atque sublevaris :  
 10 qui tui est tenor unus instituti.  
 11 An magis quoties abis ab urbe  
 12 cum dulci, unanimi optimoque fratre  
 13 una perfruiturus otioque  
 14 ruris deliciisque : quis abundat  
 15 multis et variis amoenus ille  
 16 ager Loppeliae tuae feracis  
 17 dilectus Cererique Liberoque,  
 18 gratusque ante alios Dianae et ipsis  
 19 choris Naiadumque Oreadumque.  
 20 Quae fessae nimio labore et aestu,  
 21 cum silvas radiis perurit altas  
 22 Phoebus, et loca personant cicadae  
 23 proceris sata populisque et ulmis,  
 24 veste humi posita pedes ferantur  
 25 et pectus rigidis tumens papillis  
 26 femurque et nitidas lavare suras  
 27 juges ad scatebras fluentis undae.  
 28 Dic (inquam) mihi, nonne quot fuerunt,  
 29 quotque sunt, aliis euntve in annis,  
 30 vicos despicias omniumque prata ?  
 31 Praesertim quoties jocandi et una

32 sedendi comites gravesque amicos  
 33 tecum educere contigit : celebrem  
 34 Brutum mirifica eruditione,  
 35 et clarum integritate moribusque  
 36 prosperum, quibus esse suaviores  
 37 non possunt, magis aut boni sodales.  
 38 Sed tu, seu procul urbe rusticaris  
 39 nunc curans genium mero jocisque,  
 40 nunc ducens Charitum leves choreas,  
 41 seu tuas colis hospitalis aedes  
 42 in cives itidem advenasque gratus  
 43 Phoebus dans operam omnibusque Muis,  
 44 Vincenti, decus inclytum bonorum,  
 45 sis felix, precor, ac beatus ; et te  
 46 per vestigia pressa liberique  
 47 sequentes imitentur et nepotes.  
 48 Atque istam, tibi quam dedere mentem,  
 49 tuendi omni ope patriam bonosque  
 50 in illis quoque Dii juvare pergant.

AD ANTONIUM CIOFIUM IURECONSULTUM

CA\_16 v.1 Si quicumque Angelio placere, quicumque  
 2 si nostro satis esse vis amori  
 3 factum, si nihil ipsemet scienter  
 4 commisi, unde odii flagrantis in me  
 5 causam ceperis, obsecro, Ciofi,  
 6 proque amicitia perennibusque  
 7 meis officiis peto voloque  
 8 unum hoc, praeterea nihil : puellam  
 9 ut quantum potes usque et usque laudes  
 10 meam, nec fore nec fuisse jures  
 11 ullam usquam magis et probam et venustam.  
 12 Sic quae te mala pituita vexat  
 13 arescat penitus, manusque nostro  
 14 vexet Calculae et improbo poetae,  
 15 qui nos versiculis necare suevit.

AD FLORIANUM

CA\_17 v.1 O loquacior obstrepentiorque  
 2 ranis omnibus, omnibus cicadis,  
 3 quotcumque arboribus strepunt in altis,  
 4 Phoebus dum medium peragrat orbem,  
 5 quotcumque et veterem canunt querelam,  
 6 primas cum Hesperus excitat tenebras.  
 7 O idem tamen omnium quot umquam  
 8 fuerunt lepidique et elegantes,  
 9 jucundissime Floriane : nos te  
 10 sodalem unanimes tui sodales  
 11 ad cenam cupimus venire nostram  
 12 cenam, me hercule Floriane, quae non

13 a nobis sine candida puella  
 14 et vino et sale et omnibus cachinnis  
 15 usque ad undecimam trahetur horam.  
 16 Nec deerit citharoedus aut choraules  
 17 ad quorum numeros ineptiamus.  
 18 Saltantes imitabitur Columbus  
 19 insultans thyasis furentis instar  
 20 Silenos Satyrosque Tityrosque,  
 21 insanas aget improbasque Bacchas,  
 22 Curetas, Corybantas et Caberos  
 23 Gorgus, flosculus omnium histrionum,  
 24 Gorgus, omnium ocellus et voluptas.  
 25 Ac nemo tamen insolente ritu  
 26 abscindet Samia sibi ipse testa  
 27 nervum, quo sine sordeat puellis.  
 28 Ne tete scelus impium putares  
 29 visurum, bone Floriane. Quare  
 30 oramus tenerae per ora Phrynes,  
 31 quae te jam ignibus ustulat trecentis :  
 32 huc citus veniat, nec unus esse  
 33 velis, gaudia nostra qui moreris.  
 34 Nam tua nihil est loquacitate,  
 35 quam ranae pluvia imminente quamque,  
 36 dum florent scolymi, timent cicadae  
 37 jucundum magis. Hac, amice, nil est  
 38 plane, quo careamus aegriusque  
 39 et molestius optimi sodales.  
 40 Si cedant igitur tibi cicadae et  
 41 ranae se fateantur esse victas,  
 42 quod sodalicium tuum precatur  
 43 hoc tu spernere Floriane noli.

AD LAELIUM TORELLIUM

CA\_18 v.1 Laeli, sic tibi Dii Deaeque Cosmum,  
 2 heroum decus omnium perenne,  
 3 qui te diligit aestimatque tanti,  
 4 quanti nec potis aestimare quemquam,  
 5 servent incolumem diu ac beatum ;  
 6 fac pecuniola illa perpusilla,  
 7 quam dudum emeruere tot labores  
 8 dierum assidui quater tricenum,  
 9 solvatur mihi : nam nec aes, nec aurum  
 10 jamdudum superest, quod erogemus,  
 11 nos ne in nominibus malis habendos  
 12 putent, qui sua credidere. Namque  
 13 pisis cum studia ipsa proferuntur,  
 14 astant undique mancipes, propolae,  
 15 pistores, solearii, omniumque  
 16 fullonum genus atque linteonum,  
 17 queis nil indomitum ac magis molestum est.  
 18 Quare te rogo per tuos ocellos  
 19 perque, si tibi gentium quid usquam  
 20 Laeli carius est tuis ocellis :  
 21 jube a me procul esse tot venena,



22 quae nos conficiunt domi forisque.

AD IOSEPHUM IOVAM

CA\_19 v.1 Abisti ne igitur Jova ? Et sodales  
 2 liquisti unanimes diu abfuturus  
 3 a nobis procul ? Et reversionem  
 4 adhuc diceris apparare nullam,  
 5 ut Minutulo et ipse tu fruaris  
 6 et Minutulus ipse te fruatur,  
 7 atque in alloquio tuo parumper  
 8 a cura requiescat intimumque  
 9 maerorem minuens levetur, in quo  
 10 jamdudum jacuit miser, diesque  
 11 ac noctes lachrymis genas gravique  
 12 cor desiderii peresus aestu,  
 13 et quidem meritissimo : quod a se  
 14 ablatum veterem optimumque amicum  
 15 aut fratrem potius videt gemellum,  
 16 quem mira pietate prosecutus  
 17 plus quam seque suosque amavit omnes,  
 18 quemque participem sui doloris,  
 19 suae et laetitiae volebat esse  
 20 quicquid acciderat boni malive ;  
 21 qui cum tam procul a domo et propinquis  
 22 longinqua in regione Galliarum  
 23 magno vixit amore copulatus,  
 24 ut uni modo cogitationes  
 25 suas crederet intimosque sensus.  
 26 Sive ergo, o Jova, et integri bonique  
 27 amici bonus integerque amicus  
 28 causa nunc abes ipse, sive ut istic  
 29 omnes liberius sequere Musas  
 30 et colas studia una litterarum,  
 31 sis nostri memor usque ; gratiaequae  
 32 puta jam appositum tibi perenni  
 33 Lambino siquidem Minutoloque  
 34 meo nomine dixeris salutem.  
 35 Vale mi Jova et, ut soles, me amato.

AD SODALES

CA\_20 v.1 Amici unanimes mei sodales,  
 2 sodales lepidi et boni et venusti,  
 3 atque iidem tamen improbi helluones,  
 4 arenis Libyae siticulosi  
 5 potores bibuli magis, magisque  
 6 post vini calices meracioris  
 7 madentes viola rosaque, tristes  
 8 quae passa est pluvias procacis Austri ;  
 9 iidemque anseribus ciconiisque  
 10 atque onocrotalis voraciores,

11 quippe incredibili sagacitate,  
 12 ut boni leporem canes latentem,  
 13 nunc Chios latices cadis repostos,  
 14 nunc convivium lauta quaeritatis :  
 15 an vos Angelium putatis esse  
 16 unum forte aliquem beatiorum,  
 17 quem nunc vos miserum comesse vultis ?  
 18 Nam quod mirifico culina odore  
 19 fragravit mihi nuper : appararat  
 20 apud me Jovius meus sodalis  
 21 cenam candidulae suae puellae.  
 22 Non (inquam) Jovius severioris  
 23 auctor historiae : senecta namque hunc  
 24 scribentem assidue occupavit, ut jam  
 25 praeduros nequeat movere lumbos ;  
 26 sed is, qui numeris Catullianis  
 27 ad caelum didicit vocare amores,  
 28 atque unus teneras amat puellas,  
 29 quantum qui pote deperire amando.  
 30 Quod si idem facitis, licebit omnes  
 31 domi lautius esse quotquot estis  
 32 meae. Sin minus, hinc abite cuncti,  
 33 sodales nimis improbi helluones.

## DE MARIO COLUMNA

CA\_21 v.1 Revenit Marius Columna ad Arnum  
 2 relicto Veresi suo Tibrique.  
 3 Nunc quanto minor hic et ille, tanto  
 4 major jam fluit Arnus altiorque.

## AD LAELIUM QUIDICIONUM

CA\_22 v.1 Nam quid tam male, Laeli amice, de te  
 2 umquam sum meritis ? Quid aut locutus  
 3 secus, quam sibi postularet ille,  
 4 ille amor vetus utriusque nostrum ?  
 5 Ut tu me miserum sciens volensque  
 6 in tantam impuleris repente fraudem,  
 7 dum suasum illecebris dolisque visum  
 8 heri vespere ducis ad puellam,  
 9 puellam Charitumque Apollinisque,  
 10 et doctae decus unicum Minervae.  
 11 Cujus postquam ego carmen eruditum  
 12 perlegi semel atque ab ore dulce  
 13 loquentis stupidus semel pependi,  
 14 totus interi illicet ; domumque  
 15 reversus potui (quis hoc putaret ? )  
 16 Nec partem minimam quiesse noctis,  
 17 sermones recolens jocosque dulces,  
 18 qui me surpuerant mihimet ipsum,  
 19 ut et nunc miser ardeam nihilque

20 furentem juvet impotente amore.  
 21 O laudem egregiam, o celebre factum,  
 22 o te vel ducibus parem supremis,  
 23 qui nil tale aliquid senem timentem  
 24 deceptum illecebris tuis dolisque  
 25 in tantam impuleris repente fraudem.

AD BACCIUM TINGHIUM

CA\_23 v.1 Commendo tibi plurimum tuaeque,  
 2 mi Tinghi, fidei meos amores,  
 3 meas delicias levis juventae.  
 4 Non dico hercule candidam puellam :  
 5 ne de me secus atque oportet, omnes  
 6 cui hujusmodi molestiores  
 7 curas abstulerit gravis senectus,  
 8 suspicere aliquid ; sed hos libellos,  
 9 qui sunt carminibus meis referti,  
 10 ac mire cupiunt ad eruditas  
 11 pervenire hominum manus politi  
 12 et, quantum fieri potest, ab ipsis  
 13 purgati maculis malisque mendis.  
 14 Quod illi minus ante consecuti  
 15 si per te modo consequentur, uni  
 16 habebunt tibi gratiam perennem.

AD IULIUM COLUMNAM, PONTIFICIUM LEGATUM

CA\_24 v.1 Dat dono Angelius suos libellos  
 2 sua haec carmina Julio Columnae.  
 3 Dat quidem leve munus, ast amoris :  
 4 ast erga Mariumque Juliumque  
 5 Columnas, decus ad perenne natos,  
 6 observantiae, honoris atque cultus  
 7 quem loquens tribuit tacensque utrique  
 8 et pignus grave et obsidem perennem.

AD PAULLUM MANUTIUM ET BENEDICTUM VARCHIUM

CA\_25 v.1 Venit festa dies : tristes discedite curae ;  
 2 Idaliae ferimus debita sacra deae.  
 3 Hac olim Venerem placabant luce puellae,  
 4 quas numquam in vacuo juverat esse toro.  
 5 Hac promissa Jovi spumantia vina Quirites  
 6 blandaque permulta cum prece tura dabant.  
 7 Hac ego sum quondam dias in luminis oras  
 8 editus : affulsit hac mihi luce Venus.  
 9 Nunc igitur fecisse juvet Venerique Jovique,  
 10 lux geminos nobis placet ut una deos.  
 11 Prome puer Chiumque novum veteremque Falernum.

12 Et natet effuso cuncta liquore domus.  
 13 Vosque adeo mecum Glycere, Telesilla Meleque,  
 14 quas cuncti misere depereunt juvenes,  
 15 solemnem celebrate diem : date tura precesque,  
 16 nec desint risus mistaque verba jocis.  
 17 Hic sunt et myrtus et grata sisymbria, sunt et  
 18 de junco et verna vincula facta rosa.  
 19 Non lyra, non carmen desit, quod cantet Amyntas,  
 20 cui cingit flavas picta corolla comas.  
 21 Alma Venus, tibi dum laetas operamur ad aras,  
 22 huc ades, o multo flore referta sinus.  
 23 Huc ades, et felix nostro de pectore curas  
 24 pelle malas : nobis hinc bonus annus eat.  
 25 Hinc tristes absint morbi pallensque senectus,  
 26 et labor et luctus et malesuada fames.  
 27 Neu subitus mixta cum grandine verberet imber,  
 28 quas trudit gemmas vitis opaca suas.  
 29 Neu fera tempestas teneras contundat aristas,  
 30 neu sua graminibus ros alimenta neget.  
 31 Multa ferat glandem quercus, stet consita pomus,  
 32 stipet apis plenos melle liquente favos.  
 33 Effundant oleae pingues ex arbore baccas,  
 34 quas nuda stringat rustica nupta manu.  
 35 Tum pasta eniteant armenta salubribus herbis,  
 36 ne timeant fures, ne timeantve lupos.  
 37 Sancta Venus procul hinc diros, procul esse furores  
 38 ipsa jube, in saevos rejice bella Getas.  
 39 Ac jam supplicibus Tuscis da diva perenni  
 40 pace frui. Martem cogere sola potes.  
 41 Namque ille aeterno devictus vulnere amoris  
 42 rejicit in molles se tibi saepe sinus.  
 43 Excipit et recubans suaves ex ore loquelas,  
 44 queis iras nimium mitigat ille truces.  
 45 Hunc tu igitur placidam nobis, dea candida, pacem  
 46 otiaque amoto dulcia posce metu.  
 47 Otia nam pacemque simul, modo faveris, ipse,  
 48 dum renovant reges impia bella, dabit.  
 49 Pace bona laetantur agri, laetantur et urbes,  
 50 pace bona rident aequora lata maris.  
 51 Pax alit agricolas, multo pax ubere messem  
 52 auget, et ingenti fenore ditat opes.  
 53 Haec densa tutum pastorem contegit umbra,  
 54 dum teneras vario carmine mulcet oves.  
 55 Haec celebrat juvenum dulces innoxia coetus,  
 56 cum cupida haec cupidum jungit amante virum.  
 57 At bello squalent agri, tristantur et urbes,  
 58 et tumidi maerent aequora lata maris.  
 59 Bellum ipsos miseris vastat cultoribus agros,  
 60 evertit magnas et labefactat opes.  
 61 Nec tutas sinit in silvis errare capellas,  
 62 dicere nec certo carmina certa pede.  
 63 Hoc juvenum lusus, juvenum convivia tollit,  
 64 dejungit tristem tristi ab amante virum.  
 65 Tum neque Pierides Musae, neque Phoebus Apollo,  
 66 quod legat in thalamo laeta puella, canunt.  
 67 Haec igitur procul esse jube mala. Non ego solus,

68            quae fecit nobis otia Cosmus, amo,  
 69            sed, mecum Aonios habitant quicumque recessus,  
 70            quicumque et Musis annua sacra ferunt.  
 71            Eveniet. Certum videne ut firmaverit omen ?  
 72            Accenso sonuit laurus adusta foco.  
 73            Interea Venerem jucundaque dona canemus,  
 74            dum variat dulces tibia blanda modos.  
 75            Te dea, cum passim nullo discrimine rerum  
 76            prorsus iners una mole jaceret opus,  
 77            ac neque Sol, neque Luna sua, neque sidera luce,  
 78            nec certa fluerent tempora certa vice,  
 79            solertem accepit prudens Natura magistram  
 80            constituitque suo cuncta elementa loco.  
 81            Addidit et ventos pluviasque, et frigora et aestus,  
 82            jussitque ut certum pergeret annus iter.  
 83            Humidus autumnus sitiendi aestate diremptus  
 84            esset, et a tepidi tempore veris hiems.  
 85            Sidera tunc herbas rupta tellure recentes  
 86            ad primi radios elicuere diei.  
 87            Et vario flores ornarunt prata colore,  
 88            coepit et aeterna labier amnis aqua.  
 89            Tunc initus cupiere tuos volucresque feraeque,  
 90            quicquid et immenso gurgite pontus alit.  
 91            Tunc juvenis duras concepit pectore flammam,  
 92            tunc et amatori juncta puella suo est.  
 93            Tranabat medias, quas cum transmitteret Helle,  
 94            Hellespontiacas obruta fecit aquas.  
 95            Non illum infelix mater, non quae superingens  
 96            porta tonat caeli jam revocare queunt.  
 97            It celer et blandae superato marmore amicae  
 98            basia mille capit, basia mille refert.  
 99            Ah miser, ah, magnae numquam si numina divae  
 100            laederet, extinctus non jacuisset amans.  
 101            At tu sancta veni : nosque, o, dignare. Vocamus  
 102            ad festas epulas te, dea sancta veni.  
 103            Huc teneram nostrum duxit sibi quisque puellam  
 104            strataque jamdudum trina parata manent.  
 105            Ludite vos. En ipsa venit. Neu culte Manuti,  
 106            neu tenues Varchi despice amice dapes.  
 107            Has vobis sincerus amor jugisque voluntas  
 108            qualescumque hodie rite paravit opes.

AD ANGELUM NICCOLINUM

CA\_26    v.1    Nympha olim nemorum celeberrima, nympha Parorme  
           2            unica virginei gloria honosque chori,  
           3            docta feras certis configere nympha sagittis  
           4            et rupe e summa dejicere apta capras,  
           5            dum sequitur pernix fugientem retia cervum,  
           6            pervenit aequoreas qua subit Auser aquas.  
           7            Illo forte suos lustrabat litore Proteus,  
           8            vectus in egeledi fluminis ora, greges.  
           9            Dumque adeo informes immani corpore pristis  
           10            transvehit oceanique aequora obire jubet,

11 aspexit nympham cogentem ad litora cervum :  
 12 quae formae aequoreas vincit honore deas.  
 13 Aspexit, periitque simul, simul intima sensit  
 14 attonitus flammis pectora rapta novis.  
 15 Ergo avidus ruit, et manibus comprehendit utrisque  
 16 ipse feram, magno dum fugit acta metu.  
 17 At nympa ingentem procul inde ut Protea vidit,  
 18 non ultra est celeres ausa movere pedes.  
 19 Sed potius conversa fugam capiebat et altos  
 20 spectabat montes, diruta Luna, tuos.  
 21 At Proteus : "Quo (dixit) abis ? Quo proripis hinc te ?  
 22 Quem fugis ? Ah Nais candida, siste gradum.  
 23 En ego sum, magni metuunt quem monstra profundi,  
 24 cui cedit salsas Ennosigaeus aquas ;  
 25 quem toties Thetis ipsa suis pulcherrima in antris  
 26 exceptit, thalamis quem Galatea suis.  
 27 Siste gradum : nec te moveat quod in aequore dicor  
 28 laxare indomitos et cohibere greges.  
 29 Ipse armenta olim potum dignatus Apollo est  
 30 ducere et infirmas pascere Adonis oves.  
 31 Quin etiam Cytherea undis prognata marinis  
 32 saepe solet concha per vada salsa vehi.  
 33 Illam Nereides passim comitantur et omnes  
 34 effusae gemmas, dona beata, legunt.  
 35 Ne pontum contemne : et habet sua munera pontus,  
 36 munera silvicolis invidiosa deis.  
 37 Quae Diana olim videat si culta, relictis  
 38 montibus, anteferat divitis antra maris.  
 39 Atque haec ne credas fallaci pectore dici  
 40 forsitan : o celerem siste puella gradum.  
 41 Siste gradum formosa : tua en haec accipe dona,  
 42 quae tibi Stoechadio marmore ab usque fero."  
 43 Tum vero illa suos oblatum ad munus ocellos  
 44 vertit et ex omni pectore terror abit.  
 45 Aspicit et cervi rutilantia cornua, quae jam  
 46 coraliis Proteus cinxerat ante senex.  
 47 Aspicit auratas pendere e pectore baccas,  
 48 quae fulgore ignes exsuperare queant.  
 49 Accurrit Proteus, cupidisque amplectitur ulnis  
 50 cunctantem et figit basia mille labris.  
 51 Illa verecundo demittit lumina vultu,  
 52 et cava vicinae rupis in antra fugit.  
 53 Prosequitur Proteus jam furti certus, et ambo  
 54 tandem gramineis procubuere toris.  
 55 Dumque jocos miscent laeti, dum gaudia sumunt  
 56 ultima, dum cupidos mutuus ardor habet,  
 57 speluncam ingressa est centum comitata Napaeis  
 58 Cynthia difficilis fessa labore viae.  
 59 Vix antro sese intulerant, videre jacentes  
 60 inter se femori conseruisse femur.  
 61 Versa dea est, castaeque suos ne forte sorores  
 62 polluerent oculos, opposuere manus.  
 63 At Proteus, divae perterritus improvise  
 64 adventu, solitis artibus usus abit.  
 65 Nimirum tenuem subito conversus in undam  
 66 cedit in infernas tutus amator aquas.

67 Quo fugis, ah Proteu ? Tanto in discrimine nympham  
 68 ipse tuam Proteu deseruisse potes ?  
 69 Illam casta parens trepidantem et multa timentem  
 70 opprimit, et collo turpia dona videt.  
 71 Et, "Me si qua (inquit) temerati jura pudoris,  
 72 si qua pudicitiae tangere cura solet,  
 73 si quid et esse deam est, si quid mea numina possunt,  
 74 praemia polluto corpore digna feres.  
 75 Praemia habe et reliquis exemplum esto una puellis,  
 76 quale tui similes munus habere velim.  
 77 Nam tu omnes posthac poenis affecta docebis  
 78 ferre quid abjecta virginitate decet."  
 79 Haec simul effata est, nympham devolvit in amnem,  
 80 quo foret immensi piscibus esca salis.  
 81 Praecipitem sedenim Proteus miseratus amantem,  
 82 "Haec (inquit) nostrum mortua crimen erit.  
 83 Sed quia praeterea in silvis te ducere vitam  
 84 fata negant, hoc in flumine piscis eris."  
 85 Dixit. Et illa pios imo dum pectore questus  
 86 fundere vult, vitreo gurgite muta silet.  
 87 Exuit humanam mutato corpore formam,  
 88 atque huc atque illuc obstupefacta natat.  
 89 Ac ut erat levis candentibus undique membris,  
 90 sic et adhuc nitidum leveque corpus habet.  
 91 Nullis terga rigent squamis, sed concolor auro  
 92 interpuncta humeris gemmea gutta micat.  
 93 Nam, quae pendebat niveo fulgentia collo  
 94 coralia, in similes cuncta abiere notas.  
 95 Et quoniam assidue in silvis, dum vita manebat,  
 96 vixit, adhuc silvas saxaque dura colit,  
 97 nec secus in cunctos ruit infestissima pisces,  
 98 ac quondam est omnes depopulata feras.  
 99 Quin etiam memor usque dei fugit aequor et amnes  
 100 flumine quos altos excipit unda maris.  
 101 Haec ego Damonem memini sub rupe canentem,  
 102 Angele, dum bifida retia sarcit acu,  
 103 retia, quae medii protenta in fluminis alveo  
 104 laxarant tenues dilacerata plagas.  
 105 At tu olim exemplo hoc poteris terrere puellas,  
 106 nequa deae ultricis frangere jura velit.

AD BERNARDINUM ROMENAM DE IACOBO IUNTA

CA\_27 v.1 Si mihi particulam, Romena o candide, amoris,  
 2 quo te prosequitur, Junta tuus tribuat,  
 3 Junta tuus, qui nunc tantum te fertur amare,  
 4 quantum nemo unquam fertur amasse aliquem :  
 5 non ulla hos prorsus maculent mala menda libellos,  
 6 dum parat haec formis edere nostra suis.  
 7 Sed, quoniam ille in te totum sese occupat uno,  
 8 in me deesse suo cogitur officio  
 9 interdum et de te assiduae postponere curae,  
 10 ejus quae a nobis credita sunt fidei.  
 11 Aut minus ergo jube te, si pote, diligat, aut me,

12                   dum nostra haec curat, fac amet ille magis.

AD FLAMMETTAM SODERINAM

CA\_28    v.1       Et forma insigni, et praeclaro sanguine gentis,  
           2           atque animi praestas ingeniique bonis.  
           3       Tum cujus vitam et mores semel ipsa probaris,  
           4           mox hunc constanti pectore semper amas.  
           5       Ut mirum nil sit, si quis constanter et ipse  
           6           unam te sancte deveneratus amet.

AD FLAMMETTAM SODERINAM

CA\_29    v.1       Nec facie inferior pulchrae, mea flamma, Dione es,  
           2           ingenio nec par culta Minerva tibi est.  
           3       Tale autem carmen pangis doctissima, quale  
           4           ipsa cohors Phoebi pangere docta solet.  
           5       Atque ad fortunae tanta ornamenta animique,  
           6           tota quibus mire conspicienda nites,  
           7       accedit, quod te efflictim juvenesque senesque  
           8           pectora succensos deperiisse juvat.  
           9       Nam de me tibi quid pergat mea musa fateri ?  
          10           Uror io, o, remove saeva puella faces.

AD FABIUM SEGNIUM

CA\_30    v.1       Viderat Idalios jam jam Venus aurea lucos  
           2           Angelium celeri deseruisse fuga.  
           3       Viderat et pulchrae desertum ab amore puellae  
           4           praeterea levibus ludere nolle modis.  
           5       "Scilicet hunc nostri nostrorumque (inquit) amorum,  
           6           contactum et flamma jam pudet esse mea ?"  
           7       Spiculaque e pharetra maculoso lurida felle  
           8           sumit et adducta librat ab aure manu.  
           9       Illa volant feriuntque simul, caecasque patentis  
          10           pectoris in latebras insidiosa ruunt.  
          11       Tum Dea tabifici consumptum peste veneni  
          12           increpat et celsa ridet ab usque Papho.  
          13       "I nunc et nostras audax contemne sagittas ;  
          14           i nunc et saevas excute corde faces."  
          15       Deinde quaterdenas inclusum carcere lucas,  
          16           ora miser lachrymis dum rigat, esse jubet.  
          17       Segnius interea Aonii vetus incola montis  
          18           subvenit et celerem fert miseratus opem.  
          19       Ille etenim iratos cantando placat Amores,  
          20           ille sua Paphiam mulcet et arte Deam.  
          21       Suadet odoratos fundentem ille undique flores  
          22           Angelium donis accumulare novis.  
          23       Qui nunc ingenti vatis de munere laetus  
          24           consueto nitidum vestit honore caput



25 amissasque genis inducit mollibus umbras,  
 26 gaudet et Idalia fronde virere comas.  
 27 Quin positis novus exuviis nitidusque juventa  
 28 exsilit et blandus carmina blanda canit.  
 29 Quasque potest dignas, Segni cultissime, grates  
 30 solvit et aeternum se dicat ipse tibi.

## DE CARMINE POMPEI ARNOLFINI AD MUSAS

CA\_31 v.1 Hos versus, Nymphae Aonides, Jovis aurea proles,  
 2 haec Arnolfini carmina culta sui,  
 3 quae vos Pierio puerum docuistis in antro,  
 4 esset ut Etrusci gloria magna soli,  
 5 Angelius querna vobis incisa tabella  
 6 ante aram media laetus in aede locat.  
 7 Carminis et vestri repetens promissa fidemque  
 8 orat et interea versibus hisce suum  
 9 sponsorem appellat : cui vos dependere par est.  
 10 Quando mendaces non decet esse deas.

## AD PHRYNEM

CA\_32 v.1 Si tandem praestare mihi te, candida Phryne,  
 2 et facilem et gratam tanto in amore potes,  
 3 possum ego vel duos pro te perferre labores  
 4 ac tibi tum noctes tum vigilare dies.  
 5 Verum dum simulas quasi non praesenseris umquam,  
 6 quam meus et fuerit quamque sit altus amor,  
 7 ipse tacens rationem in eo, qua ponere curam hanc  
 8 possim et tam duro colla levare iugo.

## AD PHRYNEM

CA\_33 v.1 Inspexti siquando oculos, pulcherrima Phryne,  
 2 ipsa meos, mi omni pectore sensus abit.  
 3 Ingentique animus percussus vulnere amoris  
 4 exsilit et circum lumina amata volat,  
 5 ac tibi nunc malis, roseo nunc perditus ore,  
 6 nunc in purpureis insidet usque genis,  
 7 quod si tum moriar (quamquam illa beatior est mors  
 8 vita omni atque ipsis invidiosa deis)  
 9 diceris miserum misere occidisse : neque istum  
 10 rumorem de te fama tacebit anus.

## AD AMYLLAM

CA\_34 v.1 Dum tu inter silvas glandem lectura moraris  
 2 ac sine me longos ducis Amylla dies,  
 3 et nunc pendentes spectas de rupe capellas,

4 et nunc lanigeras laeta tueris oves,  
 5 confeci calathumque tibi fusosque columque,  
 6 qualem nec Mopsi filia dives habet.  
 7 Praeterea strophiumque et acus speculumque paravi,  
 8 contextamque ingenti arte periscelidem.  
 9 Quae nunc dona a me pulcherrima flagitat Acme,  
 10 utque habeat quid non pollicita illa mihi est ?  
 11 Sed non ante feret, quam tu jam monte relicto  
 12 ostendes, quanti munera nostra facis.

## DE AMICA PHOLOE

CA\_35 v.1 Hac mihi venturam sese promiserat hora  
 2 setosi Pholoe membra perosa viri.  
 3 Nec certe prius illa fidem mentita fefellit,  
 4 cum voluit certas ponere certa notas.  
 5 Nunc tamen in longum nostros producit amores  
 6 improba, nec certo tempore certa venit.  
 7 Ast ea nocturnas horret si forte tenebras,  
 8 audeat e thalamo nusquam ut abire suo :  
 9 ne vos tam fidam, o umbrae, terrete puellam,  
 10 et cadet ad vestros hostia pulla focos.  
 11 Fallor ? An emoto sonuerunt cardine postes,  
 12 objiceque exempto jam patuere fores ?  
 13 Sic est. Vos igitur manes umbraeque valetate,  
 14 et facite haec redeant gaudia saepe mihi.

## AD LAURAM PUELLAM

CA\_36 v.1 Qualia ab arboribus pendent sua mala novellis,  
 2 non matura quidem, sed nec acerba tamen,  
 3 qualia vernanti fundunt se margine ab omni  
 4 fraga et purpureo grata colore rubent,  
 5 pectore se tales fundunt tibi Laura papillae,  
 6 tales et malae, talia labra rubent.  
 7 O felicem igitur, vernanti ex arbore quisquis  
 8 talia mala manu, talia fraga leget.

## AD DELIAM PUELLAM

CA\_37 v.1 Invidet hos oculos tibi Juno, haec brachia Pallas,  
 2 hasce Venus mammas, hos Thetis ipsa pedes.  
 3 Qui te igitur spectat felix, felicior est qui  
 4 tangit, semideus qui oscula ab ore rapit.  
 5 At quisquis fruitur, quisquis, mea Delia, tecum  
 6 secubat, hunc nemo jam neget esse deum.

## AD AMYLLAM

CA\_38 v.1 Hic tecum, mea Amylla, ad aquam dum sola redibas,  
 2 quivi olim solus dulcia verba loqui.  
 3 Hic viridis quondam ramis contectus olivae  
 4 perditus invitae basia rapta dedi.  
 5 Hic tibi, mi dulces offers dum blanda racemos,  
 6 injeci cupidas pectora in ista manus.  
 7 Hic ego nunc, eheu, moriar desertus oportet,  
 8 ut, quae sunt vitae, sint monimenta necis.

## VOTUM AMYLLAE NUBENTIS

CA\_39 v.1 Has violas, hos narcissos, haec lilia vobis,  
 2 Naides, atque horti cana ligustra sui  
 3 spargit, et ex imo fundens opobalsama limbo,  
 4 hos inter socias ducit Amylla choros.  
 5 Quod si congressus cupidi perferre mariti  
 6 et dulces poterit sustinuisse vices  
 7 incolumis, prima subeunt quas nocte, quotannis  
 8 cinget odorata limina vestra rosa.

## PERSOLUTIO VOTI

CA\_40 v.1 Congressus quoniam cupidi tutissima amantis  
 2 pertulit, ancipites sustinuitque vices,  
 3 Naiades, hic vobis meritos persolvit honores  
 4 liminaque Idaliis cingit Amylla rosis,  
 5 atque eadem fundet tepidi carchesia lactis,  
 6 stabit et ante sacros agna novella focos,  
 7 si toties posthac nimirum invictus Iolas,  
 8 inter se quoties congregientur, erit.

## IN EORUM OBITUM, QUI PRO PATRIA CECIDERANT, EX GRAECO

CA\_41 v.1 Qui propriae quondam patriae peperere salutem  
 2 ulti hostes valido cominus ense feros,  
 3 dum pugnant coeuntque simul virtusque pudorque,  
 4 effudere animas pectore quisque suas,  
 5 Graecia ne magnis olim parere tyrannis  
 6 disceret, ac foede regna superba pati.  
 7 Materno hos Tellus gremio complectitur atque hac  
 8 Jupiter esse omnes condicione jubet.  
 9 Nil peccare Deum est eventoque omnia fausto  
 10 perficere : haud homini fata cavere datum.

## AD SE IPSUM

CA\_42 v.1 Si te despectum sentis misere atque superbe  
 2 indignisque habitum perspicis esse modis,  
 3 et frustra cecidisse tibi tua verba precesque  
 4 in cassumque oculos illacrimasse tuos,  
 5 ecquae praeterea fastus jam signa moraris  
 6 illius ? Ecquidnam, quo movearis, erit ?  
 7 Ni te tanta movet, Bargaeae, superbia, ni te  
 8 contemptum, debes cui minus esse, doles ?  
 9 Ergo age, siquando patientia victa dolori  
 10 cedit et ultorem suscitatur ira animum,  
 11 obdura, o, tandem et fastidia desine ferre,  
 12 cujus te immerito perditus ussit amor.  
 13 Nec te irrideri patiare inhonestius, et, quae  
 14 fecisti misere tanto in amore miser,  
 15 omnia nunc tandem oblitus committe procellis,  
 16 nec posthac, quae te non amat, ullus amet.

## AD FLAMMETTAM SODERINAM

CA\_43 v.1 Erinnam Sapphoque suas ad sidera ferre  
 2 Graecia sic quondam est laudibus ausa novis :  
 3 illam ut divino longe praeferret Homero,  
 4 huic nullum e Lyricis diceret esse parem.  
 5 At vero, legit excultum cum Tuscia carmen,  
 6 quod tu tam docta scribere sueta manu es,  
 7 sic te praecunctis aliis miratur, ut uni  
 8 jam tibi nec vatem praeferat ausa suum.  
 9 Tum, quoniam vitae probitate excellis, habendam  
 10 inter Pierias te putet esse Deas.

## AD EANDEM

CA\_44 v.1 Ex oculis istis, ex ista incendia fronte,  
 2 ex isto ardentes protinus ore faces  
 3 ventilat atque adeo flammam spargitque rotatque,  
 4 ex isto tantum nomine saevus Amor.  
 5 Ipsa igitur licet usque alio tua lumina flectas  
 6 et faciem velo liberiore tegas,  
 7 urimur, heu miseri, tamen atque absumimur omnes,  
 8 nomine quorum aures personuere tuo.

## AD GHERARDUM SPINIUM

CA\_45 v.1 Ad Soderinam, Spini dulcissime, cum me  
 2 jussisset secum Laelius ille tuus  
 3 ire salutatum, magno inflammatus amore  
 4 porrexi victas victus et ipse manus.  
 5 Tum, simul ac sensi tam docte et dulce loquentem,

6           tam suaves numeros scribere tamque bonos,  
7           quando una et forma excellens et sanguine avito,  
8           excellit tantis dotibus una animi,  
9           unam etiam merito admirans hanc esse putavi,  
10          cui soli explerit Thespias unda sitim.

AD HIERONYMAM ARAGONIAM

CA\_46   v.1     Dii tibi nascenti cunctas Hieronyma dotes  
2           certatim larga contribuere manu.  
3           Namque hinc Roma potens, illinc Hispania natam  
4           innumeris regum clarat imaginibus.  
5           Ingenii cultus mox accessere supremi,  
6           quaeque unam Superis antetulisse queant  
7           ornamenta animi, et pulchrae immortale juventae  
8           forma decus, quales credimus esse deas.  
9           Salve igitur, salve heroum certissima proles,  
10          salve olim heroas progenitura parens.

GALATEA ECLOGA I. AD VINCENTIUM MALPILIUM

CA\_47   v.1     Quas dederit lachrymas Corydon, quas pectore voces  
2           fuderit, absentes solus dum luget amores  
3           Histonii Corydon, magni et regnator Aquini,  
4           temporibus dubiis unum quem maximus Alcon  
5           amnis ad Eridani laetissima pascua campos  
6           miserat, ut late silvas dicione teneret,  
7           si vacat atque humilem non aspernaris avenam :  
8           accipe Malpiliae gentis decus, accipe ; quod nos,  
9           quo memorem gratumque animum testemur et omni  
10          enitamur ope, ut tam clarum nomen in oras  
11          luminis e nigri tenebris se vendicet Orci,  
12          nunc demum ornatis carmen describere chartis  
13          juvit et argutas numeris iterare querelas,  
14          quas quondam aeras sic ille exprompsit ad auras.  
15          "Infelix Corydon, hic te pulcherrima flentem  
16          deseruit, patrios peteret cum maesta penates  
17          atque ad Teleboum sedes Galatea rediret.  
18          Illa olim Galatea, tuos quae sueta labores  
19          lenire et tristes animo depellere curas,  
20          aut tecum incautos fallebat arundine pisces,  
21          aut summos rara cingens indagine saltus  
22          laeta sequebatur lepores damasque fugaces,  
23          atque inde in molli discumbens gramine suavem  
24          propter aquae viridi labentis ab aggere rivum,  
25          levia fundebat riguam per membra quietem.  
26          At nunc Sirenum scopulis sese abdidit altis,  
27          multifidamque illic nympphae ad Sebethidos undam  
28          usque latens, fratrem letho suspirat ademptum.  
29          Immemor et nostri reditus non cogitat ullos ;  
30          luminibus nec saeva suis flavoque capillo  
31          parcit et, insanis plangens innoxia palmis

32 pectora, supremi leges et jura Tonantis  
 33 accusat damnatque deos, quod funere acerbo  
 34 sustulerint juvenem primo sub flore juventae.  
 35 Heu heu quid tantum juvat indulgere dolori,  
 36 immitis Galatea ? Quid oscula eburna genasque  
 37 percutere ? Et capiti immeritos discindere crines ?  
 38 Ille jacet precibus numquam reparabilis ullis.  
 39 Nec sentit gemitusve tuos, lacrimasve cadentes.  
 40 Sed jam conciliis divorum adscriptus utrosque  
 41 defigens oculos in nos, mortalia temnit.  
 42 Quin igitur potius tantorum oblita dolorum  
 43 et nostras miserata preces Galatea revisis,  
 44 quo se vorticibus latos diffundit in agros  
 45 Eridanus caeli decoratus sedibus amnis ?  
 46 Hic tibi perpetui surgent de gramine flores,  
 47 liliaque et violae cultique rosaria Paesti.  
 48 Hic etiam media ludet tibi parvulus aula  
 49 curarum Thelgon requies jucunda mearum :  
 50 quo nemo in terris puero festivior alter  
 51 seu saltat, seu molle canit, ducitve choreas.  
 52 Illum ego blandum ulnis persaepe amplexus apertis  
 53 osculor illacrimans ac, dulci voce parentem  
 54 dum vocat, ingenti penitus consumor ab igne.  
 55 Nam sine te Galatea mihi non tempora vitae  
 56 grata fluunt, sine te ferries non prospera rerum :  
 57 non urbes, non ipsa meum lustra alta ferarum  
 58 delectant animum. Verum, ut nemora invia taurus  
 59 odit et amissa misere dolet usque juvenca,  
 60 sic ego te, quoquo solum vestigia ducunt  
 61 me mea, tam procul hinc absentem conqueror. Eheu  
 62 conqueror. Et surdis jactans verba irrita ventis  
 63 experior nil dulce mihi, quin omnia sordent.  
 64 Sordent et nuper deducta ex hoste trophaea,  
 65 quae tibi jamdudum gestit Ticinus et ingens  
 66 narrare Eridanus ; nec non super aggere ripae  
 67 exstruere aeterni nobis monimenta laboris.  
 68 Hinc et nympharum ridens chorus omnis et una  
 69 venantum coetus miro compulsus amore  
 70 grata tum occurret, feret et lectissima dona.  
 71 Tunc ego cervorumque greges venatus et apros  
 72 obvius adveniam, cupideque amplexus amantem  
 73 oscula mille feram roseis impressa labellis.  
 74 O Corydon, felix Corydon, si gaudia, quae nunc  
 75 tute tibi fingis, cepisse immensa licebit.  
 76 Scilicet his silvis haud fortunatior ullus  
 77 venatorum altos posthac cantabit amores.

DAMON ECLOGA II. AD LAELIUM TORELLIUM

CA\_48 v.1 Flagrabat magno quondam Damonis amore  
 2 Chloris Hamadryadum non ultima, quam pater Aegon  
 3 doctus arundinea modulari carmen avena  
 4 erudiit multaque insignem reddidit arte :  
 5 seu cantu certare velit pedibusque choreas

6       plaudere, seu celeri Nymphas praevertere cursu,  
7       letalique procul jaculo transfigere capras,  
8       imbelles capras, summis dum rupibus haerent,  
9       aut sese ex alto revolutae in cornua librant.  
10       Flagrabat Chloris, tristesque miserrima curas  
11       lenibat maestis animum solata querelis :  
12       "En mihi contemptique arcus spretaeque pharetrae  
13       ante pedes, dum me ipse fugis, pulcherrime Damon,  
14       deflentemque tuo numquam dignatus amore  
15       et nemorum latebras et inhospita lustra ferarum  
16       me sine solus obis, et in acres irruis ursos  
17       aggrederisque apros : ah, te ne vulnere laedant,  
18       ah, tibi ne validae frangantur dentibus hastae.  
19       Certe ego fida comes, nec tanti ignara pericli,  
20       haererem lateri atque illatos comminus ictus  
21       exciperem gremioque tuo exanimata jacerem.  
22       O, mihi contingat praedulci occumbere leto,  
23       optato leto, quo nec felicius ullum  
24       esse genus possit vitae. Tum denique Damon  
25       et mea magna fides et amor tibi cognitus imo  
26       tristia nonnumquam eliceret suspiria corde.  
27       Forsan et extinctam tecum miseratus amantem  
28       exstrueres maestum summa sub rupe sepulchrum,  
29       invida praeteriens qua quondam filia Mopsi,  
30       inscriptum legeret vicino in cortice carmen :  
31       haud tota interii Chloris, nam maxima nostri  
32       semper erit pars, incolumi Damone, superstes.  
33       Sed quid ego, heu, miserae mihi ludicra somnia fingo ?  
34       Somnia, quae tenues venti dilapsa per auras  
35       dispergunt. Illum multae optavere puellae  
36       Naiades, magnis quamvis e regibus ortae.  
37       Et tamen haud umquam amplexu thalamoque potitae  
38       dulcia purpureis fixerunt oscula labris.  
39       Non Dryope, non laeta Thoe, non candida Proto,  
40       non et Callirhoe Tiberi genitore superba,  
41       non Ephyre atque Opis soror, Eridanitides ambae,  
42       ambae auro et pecudum praestanti vellere dites.  
43       Sed mihi nil obstant haec omnia. Perditus ille,  
44       ille puer, nostros toto qui pectore sensus  
45       abstulit et caeco patefecit vulnere venas,  
46       insidet assidue cordi, nec talia curat  
47       saevus amor, magnos in me dum suscitatur ignes.  
48       Quamquam, o, sed Nymphas nobis licet heroinas  
49       praetuleris, etiamne tuo prohibebis amore  
50       crudelis Damon ? Etiamne arcere parabis,  
51       quo minus in silvas vestigia nota sequamur ?  
52       Certe ego, cum libuit nostras deducere in oras  
53       auribus ignotos Latiis numerosque pedesque,  
54       saepe tuas lyrico percurri pectine laudes.  
55       Tum docui quibus insidiis, quibus artibus olim  
56       decipias acresque feras pictasque volucres,  
57       quoque modo informes mediis in vallibus ursos  
58       ipse queas solus prosternere tutus aprosque.  
59       Nec me carminibus Phyllis, nec blandior Aegle  
60       aequiparat, quamvis tenues inflare cicutas  
61       docta Aegle, quamvis celebris per compita Phyllis

62 agrestem querula moduletur arundine musam.  
 63 Invidus (et memini) cum me tua facta canentem  
 64 Eridani ad ripas saepe audivisset Amyntas,  
 65 agrorum quondam et pecudum praedives Amyntas,  
 66 pingua cui gelidi parebant pascua Sarni  
 67 Inarimeque ferax latisque Insubria campis.  
 68 - O, mea si tali celebres decora inclyta cantu  
 69 nympa (inquit) comites inter non ultima nostras  
 70 ipsa eris, et Beroe cedet tibi Phyllodoceque -.  
 71 Ipse tui sedenim jam tum me ceperat ardor,  
 72 jam tum flamma vorax penetrarat ad usque medullas,  
 73 intonsis ut sola meos testarer amores  
 74 montibus et teneris incidere falce juvaret  
 75 arboribus laudesque tuas, tua nomina Damon.  
 76 Quin ego cum calathis olim tibi lilia plenis  
 77 purpureasque rosas immortalesque amaranthos,  
 78 narcissumque crocumque et suave rubentem hyacinthum,  
 79 horrida dum saevis Aquilonibus (arva) rigarent,  
 80 ausa offerre tuum venissem credula ad antrum,  
 81 sic perii, sic ipsa meo de pectore cessi,  
 82 haeserit ut mediis vox faucibus, et, mihi quae jam  
 83 ipsa diu mecum versans blandissima noram,  
 84 immemori exciderint toto de pectore verba.  
 85 Sed vos, o Dryades, quaecumque notavimus altis  
 86 carmina corticibus, nostros delete furores.  
 87 Forsan et una illum memori de mente fugabo."  
 88 Haec simul aetherias Chloris jactavit ad auras,  
 89 oblita infelix serae decedere nocti :  
 90 accurrere piae non una e valle Napaeae  
 91 et secum maestae duxere in tecta dolentem.

GLYCE ECLOGA III. AD BACCIUM VALORIUM

CA\_49 v.1 Extulerat medio jam se nox frigida caelo  
 2 laetaque fecundo spargebat gramina rore,  
 3 cum sua formosae percussus amore puellae  
 4 limina deseruit Lycidas venator et illa,  
 5 illa, imo quae corde prius celaverat, altis  
 6 montibus et caecis detexit vulnera silvis.  
 7 Tu vero, tu, cujus amor mihi crescit in horas,  
 8 Valori, et nostro solus jam pectore regnat,  
 9 ceu quondam arentes stipulas cum corripit ignis,  
 10 exiguus serpit primum, mox clarus ad auras  
 11 effert se victor lateque incendia miscet :  
 12 accipe et haec Lycidam mecum miserare dolentem.  
 13 "Hos, o qui luctus referat tibi somnus ad aures,  
 14 saeva Glyce, meque ante tuos nunc sistat ocellos,  
 15 horrida flebilibus rumpentem saxa querelis ?  
 16 Certe ipsam dirae non te peperere leaenae,  
 17 non tibi praebuerunt immites ubera tigres,  
 18 ubera, quae saevos accendant pectore sensus.  
 19 Quin ego, te quoties venientem laetus ad antrum  
 20 ipse meum vidi : nostrine hanc ulla doloris  
 21 cura habet ? Anne alios (dixit) suspirat amores ?



22 Ac, nisi me miserum jam tum praecideret ingens  
 23 verba timor : formosa Glyce, miserere furentis,  
 24 dixissem, miserere. Tuum mors, o, mea certe  
 25 crimen erit, crimen tantum non ulla tacebunt  
 26 secula, non ullae terrarum atque aequoris orae.  
 27 Hoc ipse, intonsos quoties indagine colles  
 28 venator, quoties canibus lustra horrida cinget,  
 29 inscripta tantum testabitur ilice crimen ;  
 30 hunc silvae, hunc montes, hunc saxa amnesque loquentur  
 31 interitum et Lycidan exstinctum animalia flebunt.  
 32 Flebunt et pharetrae, flebunt et retia, et arcus,  
 33 atque canes, et te crudelem saepe vocabunt.  
 34 Sed tu, scilicet has lacrimas contemnere sueta,  
 35 has voces atque haec imi suspiria cordis,  
 36 nil, o dura, preces, nil o mea munera curas,  
 37 munera, quae multae frustra cupiere puellae.  
 38 Quin etiam ingenti fastu nos despicias, omnem  
 39 quod vitam in silvis inter spelaea ferarum,  
 40 noctis et insomnes sub dio ducimus horas.  
 41 At non cultorem nemorum Venus aurea Adonim  
 42 sprexit et amplexus setosaeque brachia fugit.  
 43 Nec tamen ille suas celebravit arundine laudes,  
 44 quas canerent olim summis in montibus ipsae  
 45 et Dryades Nymphae et Satyrorum incondita turba.  
 46 Me vero in primis dulces aluere Camenae  
 47 cinxeruntque edera, felici et baccare frontem.  
 48 Ac tu, si verax non est mentitus Amyntas,  
 49 nescio quem Dorylan tamen (hei mihi) credula praefers,  
 50 Idaeum Dorylam, cujus mendacia linguae  
 51 turpia tam multas jam decepere puellas.  
 52 Eheu, saeva Glyce, nostrae te sibila cannae  
 53 nulla movent, nostrae solam te carmina Musae  
 54 nil capiunt ingrata. Tuas ego marmore laudes  
 55 incidi et longum victurae in cortice quercus  
 56 ipse meos iterans questus et verba notavi,  
 57 quae legisse queant longo post tempore Nymphae,  
 58 dum venantur apros, dum cervum ad retia trudent.  
 59 Atque eadem, ut canerem de se, quid non mihi Leuce  
 60 pollicita est ? Leuce flavos exculta capillos,  
 61 nigra oculos Leuce, niveas Leuce alba papillas ?  
 62 Quid non Arctobali, quid non formosa Lycotae  
 63 filia ? Pelliti quid non Amaryllis Iolae ?  
 64 Divitiis omnes, omnes et sanguine clarae.  
 65 Nec minus Autonoe, qua doctior ulla Camenas  
 66 non colit, unum ardens meme admiratur et unum  
 67 suspirans versusque meos, mea carmina laudat.  
 68 Et tibi (quis credat ? ) Nunc invidet aemula seque  
 69 jactat et ante omnes te despicit illa puellas.  
 70 Tu tamen (heu) nimium confidis imagine formae.  
 71 Nec fore jam credis, facies ut candida rugas  
 72 contrahat et flavum mutent tua tempora crinem.  
 73 Et rosa, purpureo quae se commendat honore  
 74 mane virens, multo languescit pallida sole.  
 75 Languescunt violae, languescunt lilia, cum se  
 76 extulerunt primum et canas liquere pruinas.  
 77 Sic etiam, forma quae nunc anteire Napaeis

78 diceris, amisso flebis mox flore juventae.  
 79 Et veniet (mihi crede) dies, cum te quoque saevus  
 80 uret amor, cum te dolor ulciscetur amantem.  
 81 Sed quid ego haec surdis nunc conqueror irritus auris,  
 82 irritus et ventis tantum mea vulnera pando ?  
 83 Illam, illam infelix, illam, dum sola vagatur  
 84 montibus et suaves beneolenti e gramine flores  
 85 sola legit, sola et gelidi prope fluminis undam  
 86 nunc dulces somnos, frigus nunc captat opacum,  
 87 illam (inquam) aggressus molli prece flectere nitar.  
 88 Heu quid agam ? Extremi jam nunc libet orbis ad oras  
 89 ire mihi et penitus gentes intrare repostas,  
 90 quae diram ingluviem miserorum sanguine pascunt,  
 91 et primum egressos lacerant in litore nautas.  
 92 Tum mecum morietur amor, tum denique, quae me  
 93 paulatim absumunt, incendia saeva quiescent.  
 94 Ah Lycida, Lycida, quoties, dum pectore curas  
 95 volvis et ingratos defles male sanus amores,  
 96 haec eadem suesti tibi fingere somnia, quae mox  
 97 ventorum rapidae ferrent abolenda procellae ?  
 98 Quin potius, si fata urgent te saeva, jacentem  
 99 hic abicis dirasque tuo de sanguine fauces  
 100 magnorum infelix pergis saturare luporum ?  
 101 Tu laetare Glyce nostra saevissima morte,  
 102 laetare, et quoties alta sub rupe sepulchrum  
 103 aspicias, dic : iste locus mea gaudia servat,  
 104 saevitiae locus iste meae monumenta tuetur.  
 105 Jamque vale ; atque alium, qui te canat, improba quaeras."

EVAGEE ECLOGA IIII. AD PHILIPPUM MELIORIUM

CA\_50 v.1 Abdiderat montes sese venator in altos  
 2 atque inter densas nemorum maestissimus ornos,  
 3 qua rude frigenti stringit latus Alsula rivo,  
 4 innixus scopulo lachrymas fundebat Amyntas  
 5 et pulchram Euageen secum plorabat ademptam,  
 6 Euageen, magnum Ligurum decus et cui quondam  
 7 Aesis et aeterno devinctus amore Metauro  
 8 paruit et rapido subsedit flumine Tibris.  
 9 Ipse eadem cum mane, eadem cum frigida terris  
 10 nox erat, infelix gelidas iterabat ad auras  
 11 et nemus, heu, miseris conquestibus omne replebat.  
 12 "Lugete o Dryades mecum, o lugete Napaeae :  
 13 crescat et e vestris lacrimis ipsa Alsula et ipsae,  
 14 ipsae orni crescant quercusque et gramina, et uda  
 15 virgulta umbrosa protendant brachia valle,  
 16 cunctaque testentur nostrum depasta dolorem,  
 17 dum pratis insuetus oves avertit amaror,  
 18 dum mutata dolent tenerae dumeta capellae  
 19 atque infelicem referunt in lacte saporem,  
 20 dum mirantur apes casiamque crocumque rubentem,  
 21 atque thymum atque alio saturata sisymbria succo,  
 22 et pressas tristi distendunt nectare cellas.  
 23 Lugete o Dryades mecum, o lugete Napaeae.

24 Occidit Euagee pulcherrima Neptunine.  
25 Euagee nostrae spes una et sola senectae  
26 occidit. Et ruris, quicumque erat, hujus honorem  
27 abstulit evertitque omnis mihi gaudia vitae.  
28 Scilicet id fuerat, bis sex quod mensibus actis  
29 suasit ab Alpheia discedere protinus urbe,  
30 ut te lugubri aspicerem miseranda feretro  
31 efferrī atque tui pars maxima funeris essem,  
32 contegeremque atro frigentia membra sepulchro.  
33 At non haec olim nobis promissa dedisti  
34 Euagee, non haec durissima tempora, non hos  
35 tum mihi praedixisti luctus, cum magnus Acestes  
36 mitteret, aequoreas qua labitur Arnus in undas,  
37 tuque tuo invitum discedere ab ore videres  
38 praeceptisque meum munires provida pectus,  
39 quasque dabas prudens, ceu sancta oracula, voces  
40 observarem omnes et singula mente notarem  
41 consilia, ex animo quae numquam oblivia, numquam  
42 eluet ulla dies, quamvis longissima, nostro.  
43 Non ego tum tantos potui mihi fingere casus  
44 Euagee, non tantum umquam sperare dolorem.  
45 Quamvis certa mihi luctus praesaga futuri  
46 signa daret Therapon, cum densos abiete lucos  
47 caederet et piceas alto de vertice pinus  
48 dejiceret montisque ferus juga pulchra comantis  
49 vastaret, nostris qui plurimus imminet arvis.  
50 Quin potius nil illa timens portendere triste  
51 omina, diis superis faciebam vota meaque  
52 saepe manu cumulans ingrata altaria donis  
53 spondebam innumeros posthac tibi credulus annos.  
54 Atque adeo demens tempus jam jam affore rebar,  
55 cum tibi, quos olim fecundos abstulit agros,  
56 redderet insonti, Latiis qui praesidet oris  
57 pastor et ingentes rerum moderatur habenas,  
58 atque volens facilisque omnes tibi linqueret arces,  
59 munitas arces et pingua regna Camertum.  
60 Et nunc ipsa jaces, nec jam dignare vocantes  
61 tendentesque manus populos ad sidera utrasque,  
62 dum miseris miseris implent ululatibus urbes,  
63 et vocem montes, vocem nemora alta remittunt.  
64 Te variae Bacchi lynces, te saeva leonum  
65 semina et hirsuti lugent in saltibus ursi,  
66 aprique thoesque atque efferā pectora damae.  
67 Flent fontes, flent stagna tuum, flent flumina tristem  
68 interitum et lacrimis tellus madefacta tepescit.  
69 Hinc seges incultis squallet maestissima campis,  
70 squalent fecundum sitiētia pabula rorem,  
71 amissumque decus passim violaria maerent.  
72 Maerent tota suis virgulta exuta corymbis,  
73 et pecus infelix deserta in valle pererrat :  
74 ubera nec referunt sera jam nocte capellae  
75 plena, nec ad caulas redeuntem laeta moratur  
76 ipsa suam atque aliis discernit bucūla matrem.  
77 Omnia sunt macies, sunt omnia luridus horror,  
78 sunt tenebrae et tristis leti pallentis imago.  
79 Ipsa haec, quae quondam mihi frigida rura placebant,

80 nunc odi et, dulces obii quos saepe recessus,  
 81 dum medium curru sol aureus occupat axem  
 82 omniaque argutis resonant arbusta cicadis.  
 83 Odi orno, odi et platano, odi aesculo alta  
 84 contacta et radiis non pervia lustra coruscis.  
 85 Sordent et vivo confecta sedilia saxo,  
 86 sordet et, annosa quae sese ex ilice fundens  
 87 cum strepitu raucum ciet unda e margine murmur.  
 88 Quin ego, jamdudum posui quas ordine fagos  
 89 ipse tibi et teneras consevi, heu, nescius alnos,  
 90 evertam immeritas imis radicibus omnes  
 91 et silvam aggrediar crudelibus urere flammis.  
 92 Ah miser, ah, quo te mentis rapit aestus Amynta ?  
 93 Nonne vides gemitus lacrimasque ut spargis inanes ?  
 94 Quin igitur potius viva te fluminis unda  
 95 abluis ? Et precibus manes venerare sepultos ?  
 96 Forsan et haec olim venient ad sacra, tuique  
 97 vanescent tristes illo post tempore luctus."

## AD IOSEPHUM BOCCAM

CA\_51 v.1 Quod te Pierio laudum spes maxima thyrsos  
 2 percussit miroque animum calefecit amore,  
 3 clare puer, multo memem mihi charior ipso,  
 4 laetor et has imo nunc demum e pectore voces,  
 5 quas ingens expressit amor meus, edere cogor.  
 6 Sic cum carceribus laeti exsiluere jugales,  
 7 cunctorum primos inter comitatur euntem  
 8 plausus equum, celeri sic in certamine cymbam,  
 9 quae prior effugit metaeque anteacta propinquat,  
 10 hortantur turbae et vim animis praestantibus addunt,  
 11 aurea dum voces Divorum ad limina tollunt  
 12 virtutisque omnes una plauduntque faventque.  
 13 Non te nobilitas ingens, non magna tuorum  
 14 gloria, non clari virtus spectata parentis  
 15 inflavit ventoque animum tumefecit inanem,  
 16 quo minus et Musis et Phoebos deditus uni  
 17 tendere Parnassi salebrosa ad culmina gressum  
 18 discuperes vatumque illic avidissimus omnes  
 19 percipere aeternas et pectore condere voces.  
 20 Quaque alii lusu soliti se dedere inani  
 21 aetate et vigiles studiorum odisse labores,  
 22 ipse unus per te veterum monumenta virorum  
 23 carminaque assidue multos servata per annos  
 24 suspiceres et noscendi rapereris amore  
 25 quos pius Aeneas captas post ultima Trojae  
 26 excidia et flammis, totus quibus arserat orbis  
 27 terrarum, Siculis cursus iteraverit undis ;  
 28 quas caeli pelagique minas erroribus actus  
 29 pertulerit, diras quasve ille accesserit oras,  
 30 cum miseram Didonem igni consumpsit iniquo,  
 31 cum subiit manesque imos atque infera Ditis  
 32 regna et felices potuit cum visere campos,  
 33 Elysios campos, sedes ubi certa quiesque

34 nos manet, integre quicumque exegimus aevum  
 35 et Lethem sine labe pii tranavimus amnem.  
 36 Praeterea superas rediens ut sospes ad auras  
 37 venerit in Latium et Laurentia Tibridis arva  
 38 et miseri casus defleverit unus acerbos  
 39 Pallantis primo rapti sub flore juventae,  
 40 utque atram mox iram ultus magnumque dolorem,  
 41 et puerum Lausum, quo nec formosior alter,  
 42 nec virtute animi praestantior induit arma,  
 43 et Lausi genitorem et Turnum occiderit hostem,  
 44 exposcens meritas inimico a sanguine poenas.  
 45 Sed quid ego haec memorans primae incunabula vitae  
 46 percurro et notis jamdudum versor in actis ?  
 47 Nam quis te potior culti Ciceronis alumnus  
 48 aut fuit, aut certe posthac erit omnibus annis ?  
 49 Quis fictas autem causas facundius egit ?  
 50 Aut scripsit meditans ornatius ? Haud tibi jam tum  
 51 defuit ingenium puero, non culta supellex  
 52 verborum, non delectus, non copia, non ars  
 53 orantis, mentesque hominum, sensusque moventis  
 54 ducentisque omnem quoties libuisset in iram,  
 55 clementemve animum. Quae fulmina, Jupiter, et quas  
 56 ipse faces tonitrusque oculis atque auribus hausit ?  
 57 Improba persequeris dum crimina sontis et acri  
 58 tristior exterres vultu et sermone nocentes ?  
 59 Aut cum virtutes imitandaque facta bonorum  
 60 concelebras caelique effers ad sidera laudes ?  
 61 Non ego susceptae culpa mihi conscius ipsi  
 62 non timui faciemque atro pallore notavi.  
 63 Atque adeo interdum, si quod gessisse videbar  
 64 praeclarum facinus, mire laetatus abivi.  
 65 Quin mihi succensum magno virtutis amore  
 66 sensi animum, vitii prorsus scelerumque rebellem,  
 67 excultae tantum poterat facundia linguae  
 68 et tua sermonis praesens suadela Venusque.  
 69 Ergo age, clare puer, postquam largissima quondam  
 70 effudit natura tibi gremiumque sinusque,  
 71 cujus ope immensos suetus superare labores  
 72 ardua doctarum subiisti templa sororum,  
 73 ambrosia et dulci saturatus nectaris haustu :  
 74 ingredi et nunc jam magnis accingere coeptis,  
 75 quae decus aeternum domui, quae nomina genti  
 76 clara tuae pariant famamque in secla propagent,  
 77 ingentes et opes cumulent, nec plurima avitis  
 78 non addant titulis monumenta insignis honoris.  
 79 Ac velut Eridanus mediis e montibus altus  
 80 volvitur Insubrumque inter fluit arduus amnes  
 81 et summas oriens exaequat flumine ripas ;  
 82 cum tamen ingessit Ticinus et Addua fluctus  
 83 plena suos, ruit ille ingens per rura minaxque  
 84 et tandem Adriacas victor supereminet undas :  
 85 sic quoque erit, cum te sublimi in sede locatum  
 86 consulet et titulis multis et honoribus auctum  
 87 demittet reducem ad sedes patriosque penates  
 88 virtutum iudex et testis Roma tuarum.  
 89 O ego tunc imo (superem modo) pectore quanta

90 gaudia concipiam ? Quanto mihi concita motu  
 91 laetitia exsultent praecordia ? Non pater ipse,  
 92 ipse tuus pater insignis probitate manuque  
 93 strenuus et multa notus virtute, nec ipsa  
 94 ipsa magis mater laetabitur et sibi plaudet,  
 95 quamquam ambo tete miro amplectantur amore  
 96 atque suis (veterum licet hic exempla parentum  
 97 perquiras fastosque omnes ex ordine volvas)  
 98 carior haud alius fuerit genitoribus umquam.  
 99 Perge igitur teque in summo jam culmine siste,  
 100 unde una ostentat tibi maxima praemia virtus.

PETRI ANGELII BARGAEI VARCHIUS

CA\_52 v.1 Ad celebres Arni ripas et litora Daphne  
 2 nympha erat, Etruscae cultrix non ultima vallis,  
 3 quam vetus e summo despectat Faesula clivo  
 4 et mediam Minio secat avius unda [... ....]  
 5 Illa quidem non apta colo tenuique Minervae  
 6 jam tum, cum virgo primis floreret ab annis,  
 7 una sed Aonias inter celebrare sorores  
 8 nata choros, totum Phoebo sacrauerat aevum,  
 9 grata Deo blandisque comes gratissima nymphis.  
 10 Haec clari ad tumulum Varchii (namque ipsius atro  
 11 condiderant Varchii manes atque ossa sepulcro  
 12 pastores) Varchii manes deflebat amatos  
 13 et tristem Assyriis spargebat odoribus urnam  
 14 ipsa suo fundens tales e pectore questus :  
 15 "Heu quis tam duro supremam in funere vocem  
 16 voce sua et lacrimas lacrimis sociabit amicas ?  
 17 Vos liquidi fontes, vos cultae flumina vallis,  
 18 vos aurae ventique leves, qui, dum fera passim  
 19 saevit hiems, gelida spirantes amnis ab unda  
 20 editis umbrosas inter vaga murmura silvas :  
 21 ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 22 Hoc erat, hoc, patula quod ab ilice garrula cornix  
 23 praedixit persaepe, meum cum Phyllis ad antrum  
 24 docta, nec hirsuti conjunx non culta Lycotae,  
 25 crinibus effusis in mollia terga venirent  
 26 et mihi vernanti legerent de flore corollas.  
 27 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 28 Heu quis tum mentem miserae Deus abstulit ? Heu quis  
 29 avertit sensus omnes mihi, cum tua, Varchii,  
 30 instaret jam summa dies ? Quod numen, iniquum  
 31 offudit tenebras oculis ? Ne maesta viderem,  
 32 quam tibi fata vicem, quam sidera saeva pararant,  
 33 pro dolor, extremam vitae irreparabilis horam.  
 34 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 35 Nec tamen, interea ni mens mihi laeva fuisset,  
 36 signa dabant obitus Dii non obscura futuri,  
 37 cum caelum assiduis operirent nubibus et cum  
 38 sole dies, astris nox intempesta careret  
 39 et pluviis auctus flueret brumalibus Arnus.  
 40 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.

41 Ah Daphne infelix, quid tum ? Si praescia luctus  
 42 ipsa tui, tantos casus multo ante videres ?  
 43 Nam nec rupta semel saevae subtegmina Parcae  
 44 instaurant nentes, nec quem statuere supremum,  
 45 praevertit finem moriens, aut protulit ullus.  
 46 Orassem Divos, cumulassem altaria donis,  
 47 consumpsem totas illic ego perdita lues.  
 48 Atque oculos, jam jam media cum morte natantes  
 49 et solem et caelum convexaque sidera linquunt,  
 50 ah misera his saltem manibus componere possem.  
 51 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 52 Quis nunc, quis teneros imis in vallibus agnos  
 53 cantet et excelsa pendentes rupe capellas ?  
 54 Quis rores gelidasque nives, quis frigora et aestus,  
 55 fluminaque et fontes, refluentemque aequoris undam,  
 56 et tonitrus, et praecipiti cum grandine nimbos,  
 57 et rerum causas, et primi exordia mundi  
 58 explicet ? Heroasque memor describat Etruscos ?  
 59 Quis Thyrsim ad fagos ? Veteres Amaryllida ad ornos ?  
 60 Ad corylos Daphnem ? Ad myrtos invitet Iolam ?  
 61 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 62 Ipsa suis, Varchi, tete spoliata racemis  
 63 vitis et amissa laurus Parnassia bacca  
 64 flevit, et excultos hedera cingente capillos  
 65 hinc illinc capiti tristes haesere corymbi.  
 66 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 67 Ipse etiam frontem manibus percussus honestam  
 68 lugubresque notas vocesque iteravit Apollo.  
 69 Inque cavis Nymphae carmen scripsere comantis  
 70 corticibus pini atque aerae cyparissi,  
 71 esset ut in cineresque tuos et amabile nomen  
 72 aeterni luctus, aeterni testis amoris.  
 73 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 74 Te Satyri Panesque, leves te, candide Varchi,  
 75 suspirant Dryades atraque in veste Napaeae.  
 76 Inque antris specubusque imis in vallibus Echo  
 77 muta silet queriturque tacens secum ipsa doletque,  
 78 quod nequeat dulces audire ac reddere voces  
 79 laeta tuas numerosque alludere dulce canenti.  
 80 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 81 Nec tantum extremi delphin prope litoris oram,  
 82 nec tantum in silvis sola philomela sub umbra  
 83 luget et ereptos queritur maestissima natos,  
 84 nec quae per scopulos et saxa per avia ponti  
 85 deplorant miserae alcyones Ceyca peremptum,  
 86 quantum Flora tuos obitus, divine poeta.  
 87 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 88 Quas olim numeris volucres mulcebat amatis,  
 89 quas olim in silvis versus cantare docebat  
 90 lusciniis, nunc illae inter fruticeta sedentes  
 91 certatim ad luctus lamentaque dura loquaces  
 92 hortantur picas quaeque in frondente palumbes  
 93 consuerant quercu raucas iterare querelas.  
 94 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
 95 Quis tibi ? Quis tantum, Varchi, certaverit umquam  
 96 praeterea ? Quis labra tuae male sanus avenae

97 admorit posthac ? Cui tantum audere licebit ?  
98 Nam, tibi quae suaves edebat eburnea cantus  
99 fistula, Tyrrhenus quoties inflavit Amyntas,  
100 ante alios nymphis et Pani acceptus Amyntas,  
101 triste sonat, numeros omnes exosa modosque.  
102 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
103 Heu heu tecum una lusus periere jocique,  
104 Etruscique sales, et honos, et gloria linguae ;  
105 tecum una heu Varchi perierunt gaudia vatium,  
106 sive illos Tiberis, sive illos educat ingens  
107 Permessus, sive Arnus alit liquentibus undis.  
108 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.  
109 Quin etiam gremium lugubri affusa feretro  
110 alma Venus : - nobis, nobis heu Varchius (inquit)  
111 occidit et jamdudum ullo sine corpore imago  
112 Elysios inter manes versatur et umbras.  
113 Non illic versus, non dulcia carmina dictat,  
114 non Heliconiadum latices a fontibus haurit,  
115 ultima sed Lethen obliviam potat ad amnem - .  
116 Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum."  
117 Haec Daphne. At densae caelo cum forte tenebrae  
118 instarent, summum secuit maestissima crinem,  
119 mitteret ut dulci memorabile munus amico.  
120 "Supremumque vale, Varchi vale optime" dixit.